












HISTORIA PHILOSOPHIAE JURIS APUD VETERES.

AUCTORE

A. VEDER.

PHIL. THEOR., LITT. HUM. ET J. U. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM.

MDCCCXXXII.

Typis J. G. la Lau.

OPERIS CONSPECTUS.

N. B. Aliquoties in priori operis parte *Judaeos* appellavi, ubi *Hebraei* dicendi erant. Caeteris minoris momenti sive auctoris sive typographi erroribus, quos temporis angustiis prohibitus sum, quominus diligenter perscrutarer, benevole ignoscat Lector.

Quibus Diogenes Apolloniates libros perhibetur de Rerum Natura exorsus »Λόγον παντὸς ἀρχόμενον δοκεῖ μοι χρεὼν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι (1),“ iisdem si sibi praescribi normam passi essent philosophi, qua innovandi audaciam temperarent, non tot profecto prodiissent systemata, nullo nisi auctoris nomine commendata, paucorumve illustrata suffragiis discipulorum, qui in verba magistri jurare consueverant. Quod cum de universo valet studiorum cognitionisque humanae ambitu, tum maxime fatis jurisprudentiae comprobatur: quae, quatenus aliam, quam quae hominum voluntati debeatur, justitiam praecepit colendam, ipsius nunquam adeo absolvit notionem, ut, quam revereri Deam mortales juberentur, eam quâdam ex parte cognoscerent. Et sane verissime Kantius observavit, vel eos ipsos, qui juris peritiam profitentur, si, quid tandem sit justitia, rogas, non magis, quod respondeant,

(1) Diog. Laërt. VI. 81.

habituros, quam philosophum, a quo veritatis rectam definitionem petieris. Verum si res adeo obscura est, latetne etiam causa, cur, tanquam alter Proteus, novis adventantibus spectatoribus, novam aequaliter induat formam? — an esset potius ipsis tribuendum aliquid intuentibus, qui, quum, Procusteo more, ante confectum habeant lectum, cui adaptent membra captivi, haec prius contorqueant, quam considerent recte? Posterius, credo, mecum consentient omnes, qui neque judicium corruperunt, cum sibi ipsi visi sint quid invenisse novi, neque *ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhaerescunt* (1). Adstat videlicet integerrima testis Historia. Ab eo enim tempore, quo nulla fere sit philosophis justitiae notio accepta, nisi quae cum cogendi quodam jure conjuncta sit vel imo profluat ex illo, innumera sibi succedunt systemata, quae eandem diversa ratione aggrediantur disciplinam, ut finibus eam praesumpti principii includant.

Veteres, inquiunt, plane neglexerunt hanc materiam; neutiquam abs reliquâ virtute rite seposuerunt justitiam, neque hujus contexuerunt disciplinam, quae, idoneo superstructa fundamento suisque probata rationibus, sola per se stet neque aliena ope indigeat. Scilicet non quot de justo egerunt, tot veteres specimina exhibuerunt diver-

(1) Cic. Acad. Pr. II. 3.

sae rei tractationis; neque unquam sibi disciplinam rationalem excogitarunt, cujus praecepta diversa et vero contraria esse possint summae legi morali. Verum tamen qui propterea hoc argumentum putaret ab illis esse prorsus omissum, vehementer, opinor, erraret.

Nondum, quod scio, vir doctus aliquis exstitit, qui data opera veterum philosophorum sententias de justo colligeret, exponeret, dijudicaret. In iis quidem scriptis omnibus, quae veteris philosophiae historiam amplectuntur, ubi ad doctrinam cujusque moralem perventum est, justitia, e quatuor una virtutis partibus, (est nempe haec distributio virtutis tenebris obvoluta remotissimae antiquitatis), laudatur et officia, quae praescribantur ab ipsa memorantur, et indicantur praecepta, quibus eam commendarint. Atqui hoc satis est, dicat fortasse aliquis: quum enim antiquitus omnia, quae ad justitiam et immutabilia juris principia spectarent, una eaque ampliori virtutis notione comprehenderentur, Ethicâ auctoris doctrinâ perspectâ, qualis haec ejus pars sit, sponte intelligitur; si hoc semel rite constat, veteribus incognitam fuisse juris naturalis disciplinam, quaerendum est solummodo de Ethices principiis: quae justitia sit, quae prudentia, quae fortitudo, quae temperantia, facile perspicitur, eo magis, quum hoc antiquitati cum recentiori aevo commune sit, quod, quantumvis de fundamento discrepent disciplinarum philosophi, de singulis earum legibus ac praeceptis egregie conspirent.

HISTORIA PHILOSOPHIAE JURIS APUD VETERES.

HISTORIA PHILOSOPHIAE JURIS APUD VETERES.

AUCTORE

A. VEDER.

PHIL. THEOR., LITT. HUM. ET J. U. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM.

MDCCCXXXII.

Concedo satisfecisse eos libros consilio, scripti sunt: attamen res meretur accuratio disquisitionem. Est quodammodo verum, vet ignoravisse Juris Naturalis disciplinam, cum quippe nomine hodie cogitando conjungi so omnes eae notae, quibus diserte ista scientia a centioribus inventa distinguitur. Est verissin etiam, iis juribus atque officiis, quibus sibi invi homines tenentur, quorumque priscam investig do venari originem frustra institueres, nunq fere ab antiquis philosophis alium obliga fontem fuisse suppositum, quam reliquis Ethi praeceptis. Sed attendendum est primo lo quod, quamvis ad virtutem referretur justi hujus tamen notionem ex illâ nequaquam ortam sive derivatam, sive aliquo modo prod tam; in talibus non dissolvendo sed conjunge progreditur mens humana; non, indagantes vir tis naturam, invenerunt homines justitiam: h diu ante cognoverant, quam de generaliori vir tis notione somniarent: et, quod hac illam po comprehenderunt, philosophorum studiis effec est, quae ratio docebat, communi conantium ciplinae vinculo continere. Manebat praete justitia fons constituti juris, et hac etiam ex p ipsius notio suam habet dignitatem propriaque tione exculta est.

Illos autem potissimum excitavi libros pr terea, quod, quae ad argumentum hoc facia in iis utique reperiuntur maxime digesta at

exposita. Etenim isti auctores, qui expresse id sibi sumserunt, ut Juris historiam conscriberent et placita de *justo* colligerent philosophorum, veteres reliquerunt intactos aut eorum pauca quaedam alii aliis mutuo surripuerunt loca, quasi his memorandis universa quaestio absolveretur. Neque igitur opus erit eorum edere nomina, qui superiori imprimis saeculo *Juris Naturalis Historias* conscripserunt (1). Sed illi etiam, qui recentissimo tempore diligentius iis studiis incubuerunt, et originem notionis atque incrementa investigare et illustrare conati sunt, philosophiam tamen veterum parum curarunt, satis se praestituros existimantes, si e majoribus illis operibus, quae primo loco diximus, sententias describerent celebratissimas et additâ aliquâ adnotatione, cum lectoribus communicarent (2).

Non igitur inutile fore judicavi, si in hac materia elaboranda virium periculum facerem, quas

(1) Laudantur in omnibus fere compendiis Juris Naturalis, in quorum principio monentur vulgo quaedam de historia disciplinae et auctoribus, qui eam conscripserunt. V. etiam Krug Encyclop. Philos. Lex. v. *Rechtslehre*. Eos propterea non necesse est hoc loco excitare, quod, quamvis magnam videantur cum argumento nostro habere necessitudinem, revera nullam habent.

(2) Cff. Henrici, Ideën zu einer wissensch. Begründ. der Rechtslehre cet. Han. 1810, cujus primae sectioni titulus est, Versuch einer Geschichte des Rechtsbegriffs seit den frühesten Daten bis zur Bildungsepoche des wissensch. Naturrechts. Cf. Praef. p. XI. — Welcker, Die letzten Gründe von Recht, Staat und Strafe, philos. und rechthist. entwickelt. Giessen 1813, p. 430—450. — Von Raumer, über die geschichtl. Entwickel. der Begr. von Recht, Staat und Politik. Leipz. 1826. p. 3—20.

habituros, quam philosophum, a quo veritatis rectam definitionem petieris. Verum si res adeo obscura est, latetne etiam causa, cur, tanquam alter Proteus, novis adventantibus spectatoribus, novam aequaliter induat formam? — an esset potius ipsis tribuendum aliquid intuentibus, qui, quum, Procusteo more, ante confectum habeant lectum, cui adaptent membra captivi, haec prius contorqueant, quam considerent recte? Posterius, credo, mecum consentient omnes, qui neque judicium corruperunt, cum sibi ipsi visi sint quid invenisse novi, neque *ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhaerescunt* (1). Adstat videlicet integerrima testis Historia. Ab eo enim tempore, quo nulla fere sit philosophis justitiae notio accepta, nisi quae cum cogendi quodam jure conjuncta sit vel imo profluat ex illo, innumera sibi succedunt systemata, quae eandem diversa ratione aggrediantur disciplinam, ut finibus eam praesumpti principii includant.

Veteres, inquiunt, plane neglexerunt hanc materiam; neutiquam abs reliquâ virtute rite seposuerunt justitiam, neque hujus contexuerunt disciplinam, quae, idoneo superstructa fundamento suisque probata rationibus, sola per se stet neque aliena ope indigeat. Scilicet non quot de justo egerunt, tot veteres specimina exhibuerunt diver-

(1) Cic. Acad. Pr. II. 3.

sae rei tractationis; neque unquam sibi disciplinam rationalem excogitarunt, cujus praecepta diversa et vero contraria esse possint summae legi morali. Verum tamen qui propterea hoc argumentum putaret ab illis esse prorsus omissum, vehementer, opinor, erraret.

Nondum, quod scio, vir doctus aliquis exstitit, qui data opera veterum philosophorum sententias de justo colligeret, exponeret, dijudicaret. In iis quidem scriptis omnibus, quae veteris philosophiae historiam amplectuntur, ubi ad doctrinam cujusque moralem perventum est, justitia, e quatuor una virtutis partibus, (est nempe haec distributio virtutis tenebris obvoluta remotissimae antiquitatis), laudatur et officia, quae praescribantur ab ipsa memorantur, et indicantur praecepta, quibus eam commendarint. Atqui hoc satis est, dicat fortasse aliquis: quum enim antiquitus omnia, quae ad justitiam et immutabilia juris principia spectarent, una eaque ampliori virtutis notione comprehenderentur, Ethicâ auctoris doctrinâ perspectâ, qualis haec ejus pars sit, sponte intelligitur; si hoc semel rite constat, veteribus incognitam fuisse juris naturalis disciplinam, quaerendum est solummodo de Ethices principiis: quae justitia sit, quae prudentia, quae fortitudo, quae temperantia, facile perspicitur, eo magis, quum hoc antiquitati cum recentiori aevo commune sit, quod, quantumvis de fundamento discrepent disciplinarum philosophi, de singulis earum legibus ac praeceptis egregie conspirent.

Concedo satisfecisse eos libros consilio, quo scripti sunt: attamen res meretur accuratiorem disquisitionem. Est quodammodo verum, veteres ignoravisse Juris Naturalis disciplinam, cum quo quippe nomine hodie cogitando conjungi solent omnes eae notae, quibus diserte ista scientia a recentioribus inventa distinguitur. Est verissimum etiam, iis juribus atque officiis, quibus sibi invicem homines tenentur, quorumque priscam investigando venari originem frustra institueres, nunquam fere ab antiquis philosophis alium obligandi fontem fuisse suppositum, quam reliquis Ethicae praeceptis. Sed attendendum est primo loco, quod, quamvis ad virtutem referretur justitia, hujus tamen notionem ex illâ nequaquam esse ortam sive derivatam, sive aliquo modo productam; in talibus non dissolvendo sed conjungendo progreditur mens humana; non, indagantes virtutis naturam, invenerunt homines justitiam: hanc diu ante cognoverant, quam de generaliori virtutis notione somniarent: et, quod hac illam postea comprehenderunt, philosophorum studiis effectum est, quae ratio docebat, communi conantium disciplinae vinculo continere. Manebat praeterea justitia fons constituti juris, et hac etiam ex parte ipsius notio suam habet dignitatem propriaque ratione exculta est.

Illos autem potissimum excitavi libros propterea, quod, quae ad argumentum hoc faciant, in iis utique reperiuntur maxime digesta atque

exposita. Etenim isti auctores, qui expresse id sibi sumserunt, ut Juris historiam conscriberent et placita de *justo* colligerent philosophorum, veteres reliquerunt intactos aut eorum pauca quaedam alii aliis mutuo surripuerunt loca, quasi his memorandis universa quaestio absolveretur. Neque igitur opus erit eorum edere nomina, qui superiori imprimis saeculo *Juris Naturalis Historias* conscripserunt (1). Sed illi etiam, qui recentissimo tempore diligentius iis studiis incubuerunt, et originem notionis atque incrementa investigare et illustrare conati sunt, philosophiam tamen veterum parum curarunt, satis se praestituros existimantes, si e majoribus illis operibus, quae primo loco diximus, sententias describerent celebratissimas et additâ aliquâ adnotatione, cum lectoribus communicarent (2).

Non igitur inutile fore judicavi, si in hac materia elaboranda virium periculum facerem, quas

(1) Laudantur in omnibus fere compendiis Juris Naturalis, in quorum principio monentur vulgo quaedam de historia disciplinae et auctoribus, qui eam conscripserunt. V. etiam Krug Encyclop. Philos. Lex. v. *Rechtslehre*. Eos propterea non necesse est hoc loco excitare, quod, quamvis magnam videantur cum argumento nostro habere necessitudinem, revera nullam habent.

(2) Cff. Henrici, Ideën zu einer wissensch. Begründ. der Rechtslehre cet. Han. 1810, cujus primae sectioni titulus est, Versuch einer Geschichte des Rechtsbegriffs seit den frühesten Daten bis zur Bildungsepoche des wissensch. Naturrechts. Cf. Praef. p. XI. — Welcker, Die letzten Gründe von Recht, Staat und Strafe, philos. und rechthist. entwickelt. Giessen 1813, p. 430—450. — Von Raumer, über die geschichtl. Entwickel. der Begr. von Recht, Staat und Politik. Leipz. 1826. p. 3—20.

si aliquando operi suscepto longe impares probaverim, fontes tamen ipsos adeundo, industriae fortasse laudem meruero. Quam rem ita tractare conabor, ut placita veterum de justo cum horum disciplina morali et hanc rursus, quantum fieri possit, cum universo componam principio philosophandi.

Quod autem justi notio, qualiscunque tandem prima fuerit, non adinventa sit in scholis philosophorum, sed, utpote universi humani generis saluti necessaria, cum eo ferme aequalis exstiterit, manifestum est. Ut itaque rite intelligatur, quamnam notionem acceperint philosophi, quam ingenii luminibus adornarent, quaedam hac de re duxi praemonenda prioremque dissertationis partem inscribendam de *antiquissima justi notione*, qua introducemur quasi in reliquam disputationem. *Notionem* vero non eo sensu usurpavi, quo in recentiorum, criticorum praesertim, doctrinâ appellatur (1), sed omnem universe *perceptionem* significavi, sive a sensibus oriatur, sive solâ perficiatur mentis functione. Jamjam in *originem* justitiae inquisituris, quod nullam historia opem tulerit, in aperto est: sed adjutricem tamen nobis visi sumus reperisse haud contemnendam profecto, praesumptionem scilicet, quae ex necessaria eliciatur primorum hominum conditione, atque

---

(1) Kant, Critik der R. Vern 3te Ausg. p. 377. Cf. Lossius, Philos. Real Lex. v. Begriff T. I. p. 519.

ea nitatur funditus. Etenim, quo retrorsum primae ulterius antiquitatis vestigia premamus, eo homines magis apparere rationis auxilio destitutos, nemo inficias ibit. Si igitur primos homines nobis repraesentemus sensibus maxime adstrictos et communi tamen societatis vinculo indigentes, sine quo vita ne vitalis quidem putanda est, hujus contrahendi opportunitatem ut probabiliter eruamus, unice habenda ratio est studii, cum omnium animalium natura communis, fugiendi quod malum, appetendi, quod bonum videatur. Homo solum animal erit, quod propter excelsiorem suam indolem rationem inveniat, aut potius conspectam forte studiose retineat; qua singulorum hoc studium cum universorum salute consistat (1). Neminem offendat, quod originem notionis a sensibus deduxerimus. Vel illi enim philosophi, qui in omni quaestione de vero sensuum testimonium diserte recusent et ad unam omnia referant rationem, fatentur tamen, omnes nostras notiones adeoque universam cognitionem humanam, quamvis probari ratione, a sensibus nihilominus sumsisse initium.

Repertâ primariâ justi notione, quantopere a reliquis notionibus, quibus diu carere genus humanum non potuit, castigata et amplificata, vel corrupta et immutata fuerit, breviter explicabi-

---

(1) Plato Menex. 237. D. Steph. ὃ (ζῶον) συνέσει τε ὑπερέχει τῶν ἄλλων καὶ δίκην..... μόνον νομίζει. Cff. de Legg. I. 644. CD.

mus. Non tamen idcirco singulorum populorum historiam ordine quodam perscrutabimur (1), sed ex ea passim mutuabimur exempla, quibus, quando, quae cunctis gentibus communes fuere, colligimus notas, vel, ex quibus causis similes ubique provenere effectus, exponimus, illustremus sententiam nostram. Praecipue in censum venient opiniones a religione, institutis civilibus, crescente sensim humanitate profectae; ut tandem, popularis quasi notionis historiâ enarratâ, appareat, quo loco antiquitus justitia habita sit, et opportune simul transeatur ad philosophicam rei tractationem.

Unicum hujus libelli consilium est, ut diligenter proponantur et modeste dijudicentur sententiae veterum. Nequaquam mihi in mentem venit, a solitis, quae proferuntur, diversum edere Juris Naturalis fundamentum, quamvis haud improbabile forsan aliquod exstrui possit ex observatâ illâ primorum hominum indole. — Neque sic etiam exiguas vires, quas in hac materia tractandâ collocandas habui, tanti existimo, ut inde ipsam disciplinam esse capturam quid lucri autumem, sed summopere elatus essem, si elegantius forte ingenium excitassent, ut gravissimum hoc argumentum dignius et uberius excoleret.

---

(1) Egregie ex singulorum populorum historia antiquissimas juris notiones descripsit Welckerus op. l. Parte II. p. 279. sqq.

tari liceat, qui et in effingendis rerum nominibus naturam proxime ducem secuti sunt et quorum ingenii Philosophici progressum verborum potestas egregie assectata est (1). Omnes voces, quamvis moralem ideam postea expresserint, initio significationem habuerunt, a sensibus acceptam. Sic, ut novam moralem notionem, justi scil., exprimerent, nomine usi sunt, quo *aequale* significare solebant, quia in mutua virium *aequalitate* justum ponebant; et vox *δίκαιον*, Ethicam sic vim adepta, nunquam tamen Aestheticam *aequalitatis* notionem prorsus amisit. Verbum, si

(1) » Es ist merkwürdig," inquit Cl. Hugo Lehrbuch des Naturrechts, als einer Philosophie des Posit. Rechts, besonders des Priv. Rechts Vierte Ausg. n. ad §. 8. Einleit » wie sich der juristische Sprachgebrauch so wenig bey den Griechen ausbildete. Sie haben nur *νόμος* und die Ableitungen davon, während die Römer, wenn sie genau sprechen, und nicht etwa, wie bey Cicero oft der Fall ist, eine Griechische Urschrift vor sich haben, nie Lex und Jus verwechseln. Die Griechen sagen *νόμος κοινός*, aber die Römer sagen nie *Lex Gentium*.... Wie viel besser würden im Abendlande noch unter den Westgothen leges und jura unterschieden!" Verum est verborum, quae Juris materiem amplectantur, exiguum fuisse penes Graecos usum; verum item est non peculiari verbo *Jura* a legibus distincta fuisse: sed falso inde efficeretur, Graecos non sensisse hanc distinctionem: *δίκαιον* vel *δίκαια* vulgo *Jura* significant et nihil frequentius quam *τυγχάνειν*, *ἀξιόυσθαι*, *ἀπολαύειν τῶν δικαίων*, *jus suum* obtinere, *χρῆσθαι τῷ δικαίῳ* uti *jure suo* cett. Minus recte praeterea *νόμον κοινόν* reprehendit Vir Cl., ubi Latini dicunt *jus* gentium. Illud veterum sententiam non minus exprimit: omne enim *jus* Gentium ex communi *lege* derivabatur, iis ab ipsa natura imposita, et recte *leges* omnium hominum conturbasse dicebantur, qui illud jus violaverant. Herod. VII. 136.

tanda nostra quaestione alium gravissimum conjungerent, quod scilicet, ubi quaerebant de notionis justi origine, hanc simul inviti supponerent:

»Aurea prima sata est aetas, quae, vindice nullo
Sponte sua, sine Lege, fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant, nec verba minacia fixo
Aere legebantur: nec supplex turba timebant
Judicis ora sui: sed erant sine judice tuti (1).”

Poëticis inventis hanc descriptionem deberi, falso quis opinaretur: communis fere veterum opinio erat, primos mortalium sponte sua rectum coluisse, deinde vero exstitisse fraudem et invidiam et bella, unde dominationes natae; denique, cum Regum pertaesum esset, magistratus esse creatos et jura sancita (2). Haec traditio supponit vel ab initio adfuisse justi notionem; at sic nulla naturae humanae ratio habetur, quae remotiore quovis tempore sensibus magis exprimitur et adesse jam supponitur illud, cujus origo demonstranda erat; vel semper juste egisse homines sine justi notione, quod est absurdum. Ne miremur tamen in hac quaestione tractanda non accuratius versatos fuisse, tum propter exiguum rerum Psychicarum studium, tum quoniam de traditionibus, quas rettulit vetus aetas, non multum philosophari consueverant.

(1) Ovid. L. I. 89 sqq. Metam. — Hesiod. Op. et D. vs. 95-110.
(2) Tacit. Ann. III. 25. Cff. Plato Polit. 271. seq. Lucret. L. V. Cic. p. Sext. c. 42.

§. 2.

Huic tamen errori non ii obveniunt, qui cum Schaumanno (1) initio eandem fuisse censent potentiae et justitiae notionem: qualiscunque enim primus justi sensus fuerit, gratus fuisse intelligitur, neque exempla, quae a Viro Cl. citata sunt, contrarium docent. Sunt enim ex iis temporibus sumpta, in quibus quaestio non amplius versatur et ex jure belli apud veteres explicantur (2). Praeterea cum primorum hominum sensibus adstrictorum natura non solum non convenit haec doctrina sed adversatur illi: cui enim a potentiori homine laeso unquam in mentem venerit, esse aliquid, cur iste recte agat, quod non in ipsa actione sed in conditione positum sit, qua maleficus utatur?

§. 3.

Reliqua de notionis justi origine placita proferre non lubet: recentiorum tot sunt et tam dis-

(1) Wissenschaftliches Naturrecht 1792. p. 45.
(2) Cf. Henrici in egregio opere Ideën zu einer wissenschaftlichen Begründung der Rechtslehre, oder über den Begriff und die letzten Gründe des Rechts, T. I. p. 9. Ex recentiori etiam tempore exempla possent afferri victorum ad jus fortioris aliquod provocantium, ex quibus insulse tamen efficeres hoc propterea vere *jus* habitum esse. Cui non in mentem venit Napoleönticum *droit du canon.*

crepantia, ut his exponendis totum librum consumere possimus; veterum autem praecipua passim attingere argumenti nostri ratio jubebit: quid universe gravissimum eorum vitium esse solet, monuimus, cui affine aliud est, recentioribus fere commune,[1] quod, quid primum justum habitum sit, dum inquirere velint, respondeant vulgo, quando hoc, quod nos justum habemus, primum observari coeperit. Si pacti speciem vident, justitiae vim agnoscere sibi videntur; ubi potestas parentum elucet, ad jus naturale provocant: quo nihil a quaestione nostra magis alienum est. Multa enim antiquitus fecerunt homines absque impulsu morali, qui ad similia nos ducere solet, et ab altera parte, quod rectum videbatur iis temporibus ad multa incitavit, quae a more nostro sunt longe aliena. Ratio igitur habenda est parum rationalis primorum hominum conditionis, si, quid ipsi primum justum habuerint, inquirere velimus. Quid nobis videtur, jam explicare conabimur.

§. 4.

Omnibus animalibus simul cum sensibus innatum est studium appetendi bonum, fugiendi malum: jam homines, ubi nondum suspicarentur esse ex natura rei aliquam inter se invicem relationem, quod grate se afficeret, quacumque ratione appetere conabantur, non curantes, utrum sic ingrate alios afficerent, nec ne: si qui vero

sic ingrate afficerentur, eodem incitamento ducti, malum avertere et, utut possent, bonum assequi studuerunt. Jam qui viribus non aeque pollebat, ut finem, a sensibus praescriptum, solus persequeretur, ipsâ naturâ illius viribus suas conjungere jubebatur, qui in eodem statu versaretur et malum, a tertio imminens, solus arcere non posset. Ab ipsa natura incitatum dico: si enim de pacto cogitare velimus et in eo justi notionis originem quaerere, in idem vitium incideremus, quod improbavimus modo, nostrae scil. justi notionis initia quaerentes: non justum aliquod in hac virium conjunctione posuerunt illi homines, sed perinde ac animalia solent, sensu eo se duci passi sunt. Vires sic conjunctas aggressori opposuerunt, quo ingrate afficerentur, avertendi, contraria insuper assequendi studio. Sic ab utraque parte vires auctae, donec tam aeque sibi obstarent, ut unus homo (vel plures, vel plures familiae, quae propositi habita ratione quasi unam personam conficere praesumuntur) quod sibi bonum videretur, numquam cum alterius incommodo attingere posset: ubi eo pervenerint, viderunt homines hanc esse rationem, qua, quo a natura incitarentur, possent simul omnes assequi, atque hunc statum primum *justum* habuerunt, quo vires sic oppositae essent, ut malum alterius non amplius conditio esset alterius boni.

Concedo satisfecisse eos libros consilio, quo scripti sunt: attamen res meretur accuratiorem disquisitionem. Est quodammodo verum, veteres ignoravisse Juris Naturalis disciplinam, cum quo quippe nomine hodie cogitando conjungi solent omnes eae notae, quibus diserte ista scientia a recentioribus inventa distinguitur. Est verissimum etiam, iis juribus atque officiis, quibus sibi invicem homines tenentur, quorumque priscam investigando venari originem frustra institueres, nunquam fere ab antiquis philosophis alium obligandi fontem fuisse suppositum, quam reliquis Ethicae praeceptis. Sed attendendum est primo loco, quod, quamvis ad virtutem referretur justitia, hujus tamen notionem ex illâ nequaquam esse ortam sive derivatam, sive aliquo modo productam; in talibus non dissolvendo sed conjungendo progreditur mens humana; non, indagantes virtutis naturam, invenerunt homines justitiam: hanc diu ante cognoverant, quam de generaliori virtutis notione somniarent: et, quod hac illam postea comprehenderunt, philosophorum studiis effectum est, quae ratio docebat, communi conantium disciplinae vinculo continere. Manebat praeterea justitia fons constituti juris, et hac etiam ex parte ipsius notio suam habet dignitatem propriaque ratione exculta est.

Illos autem potissimum excitavi libros propterea, quod, quae ad argumentum hoc faciant, in iis utique reperiuntur maxime digesta atque

exposita. Etenim isti auctores, qui expresse id sibi sumserunt, ut Juris historiam conscriberent et placita de *justo* colligerent philosophorum, veteres reliquerunt intactos aut eorum pauca quaedam alii aliis mutuo surripuerunt loca, quasi his memorandis universa quaestio absolveretur. Neque igitur opus erit eorum edere nomina, qui superiori imprimis saeculo *Juris Naturalis Historias* conscripserunt (1). Sed illi etiam, qui recentissimo tempore diligentius iis studiis incubuerunt, et originem notionis atque incrementa investigare et illustrare conati sunt, philosophiam tamen veterum parum curarunt, satis se praestituros existimantes, si e majoribus illis operibus, quae primo loco diximus, sententias describerent celebratissimas et additâ aliquâ adnotatione, cum lectoribus communicarent (2).

Non igitur inutile fore judicavi, si in hac materia elaboranda virium periculum facerem, quas

(1) Laudantur in omnibus fere compendiis Juris Naturalis, in quorum principio monentur vulgo quaedam de historia disciplinae et auctoribus, qui eam conscripserunt. V. etiam Krug Encyclop. Philos. Lex. v. *Rechtslehre.* Eos propterea non necesse est hoc loco excitare, quod, quamvis magnam videantur cum argumento nostro habere necessitudinem, revera nullam habent.

(2) Cff. Henrici, Ideën zu einer wissensch. Begründ. der Rechtslehre cet. Han. 1810, cujus primae sectioni titulus est, Versuch einer Geschichte des Rechtsbegriffs seit den frühesten Daten bis zur Bildungsepoche des wissensch. Naturrechts. Cf. Praef. p. XI. — Welcker, Die letzten Gründe von Recht, Staat und Strafe, philos. und rechthist. entwickelt. Giessen 1813, p. 430—450. — Von Raumer, über die geschichtl. Entwickel. der Begr. von Recht, Staat und Politik. Leipz. 1826. p. 3—20.

SECTIO SECUNDA.

DE RELIGIONIS EFFICACIA IN PRIMAM JUSTI NOTIONEM.

§. 1.

Si quaeras, cur, quamvis credibile sit non omnes simul agnovisse rationem communis salutis promovendae, concurrerint tamen ad illam corroborandam; si mireris, eos, qui majoribus viribus pollerent, has in commune quasi abdicavisse, in Religione causam sitam esse existimo, quae hos absterruit, illos persuasit. Nimirum in naturali hominum statu, quo minus ingenium excultum est, eo plura obstupet; quae explicare non valet, admirationem et venerationem incutiunt, nascitur confusa Divinitatis idea: ut plures homines conjuncti, secum hunc animi sensum communicant et communem formam probant venerandi ea, quae utpote magna et horribilia, quin in universam eorum vitam incognitam quidem at gravissimam vim obtineant, in dubium revocare non audent. Quae grata accidunt, religionis praemium, ingrata impietatis poenam continent; omnia Diis referuntur accepta. Jam qui primis temporibus ingenio ceteris praecelluerunt, eas res, quas ad salutem omnium conducere arbitrabantur, quaeque quin Numini cuidam debeantur, ipsi non dubitabant, cum Religione conjunxerunt et sic istos etiam,

quorum rude et incomptum ingenium ultra propriae utilitatis sensum non saperet nec, cum communi quam arcte haec cohaereat, intelligeret, Divinitatis metu constrinxerunt.

§. 2.

Justitia Dea est, cum sororibus *Μοίραις*, *Κῆρσι*, *Εὐνομίῃ* et *Εἰρήνῃ*, Themide nata (1): quam praeclaram, imo sublimem sententiam haec Mythologia commendet, non opus erit monere: vellem ex hac multa conficere, quibus veterum de justitia notio illustretur; sed, quamvis invitum, me cohibeo, cum, me quidem judice, minus recte agant ii, qui ex Hesiodo veteres traditiones eruant, in cujus Theogonia Philosophi potius ludentis, quam Poëtae nota exornantis imaginem agnosco. At Dea certe est, Jovis nata, quae patri assidet virgo, non impune tentanda (2). Quam aptum fuerit hoc Deae simulacrum ad *ὕβριν* hominum coërcendam, vel ex eo patet, quod etiam diu post Oratores et Poëtae eo usi sunt ad justitiam commendandam (3), quamvis exemplo simul sit in abjectorum hominum ore vel sanctissima sordidae inservire adulationi (4). Non soli autem Graeci hanc Divinam Justitiae naturam coluerunt, sed omnes veteres populi; et si gentilis nonnullorum

(1) Hesiod. Theog. vs. 903.
(2) Hesiod. Op. et D. vs. 239. sqq.
(3) Demosth. in Arist. p. 829. F.
(4) Plutarch. v. Alex. p. 695. A. Ad princ. indoct. 781. AB.

religio non sineret forsan eam Deam vocari, Divinitus tamen acceptam omnes celebrarunt: sic Judaei v. g., qui soli ex ore Dei quasi descriptis legibus uti sibi videbantur, justitiae notionem adeo cum religione conjunctam habebant, ut omnes iis justi dicantur, qui pietate aut morum castitate innotescerent (1).

§. 3.

Ex multorum etiam verborum Graecorum significatione hoc vinculum egregie probatur, e. g. verbi θέμις de oraculis adhibiti (2) cet., quod temporis tractu non dissolutum non solum sed magis magisque adstrictum esse ex significatione patet, quam τὰ δίκαια acceperunt, honoris scil. debiti mortuis praestandi, quamque Latini postea imitando accuratissime expresserunt (3).

§. 4.

Imprimis autem quae justitiam inter et religionem intercedebat necessitudo tum ex insigni auctoritate, quam in Legibus condendis et institutis firmandis obtinuerit, tum ex judiciorum ratione elucescit. Quod enim ad hanc atti-

(1) Cff. H. Grot. Proleg. ad Pauli Epist. ad Rom. Schleusner, Lex. in N. T. in voce.

(2) Pindar. Pyth. IV. 96. Cf. Platner Not. Jur. et Just. ex Homeri et Hesiodi carm. expl. Marb. 1819. p. 82.

(3) V. Scheller in voce *justus*.

net, cum omnis justitia a Diis repeteretur, qui supremi injusti habebantur vindices, judices Deorum vicarii erant, *δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας Πρὸς Διὸς εἰρύαται* (1). Ex Regiae potestatis ratione hoc infra latius patebit; hic addidisse sufficiat, apud nonnullos populos, hanc Religionis efficaciam multum adhuc inde auctam esse, quod sacerdotes judicum munere fungerentur v. c. apud Aegyptios (2) et aliquamdiu etiam apud Hebraeos (3). Verum praecipua in condendis legibus et institutis firmandis fuit Religionis auctoritas, cui gravissima et quae maximam vim in veteres civitates habuerunt, jura debentur, quae fuse exponere instituti nostri ratio non sinit: nostrum tantum est ex quali notione haec Jura orta sint veterum testimoniis indicare. Quum scil. homines qua in re esset aliquid, quod justum vocarent, perspexerant, et huic fundamento vitae socialis rationem superstruxerant, formas insuper quasdam excogitarunt, quibus haec nisi omnis conciperetur, ornaretur certe quam maxime, quaeque a crescente quotidie Religionis metu omnem vim et auctorita-

(1) Hom. Iliad. I. 237.

(2) Aelian. Var. Hist. XIV. 34. Cf. Pastoret, Hist. de la Législat. T. II. p. 199. sqq. Reges quidem ex nonnullorum locorum veterum collatione videntur saepe supremi judices fuisse, sed sacerdotum auctoritas eo maxime crevit, quod soli libros, quibus Hermetis Aegyptiorum legislatoris praecepta continebantur, conservarent atque interpretarentur. Aelian. d. l. Clemens Alex. Strom. VI. p. 634.

(3) Deuter. XVII. 9. XXI. 5. XXXI. 9.

tem acceperunt. Inde effectum est, ut, quod juberet religio, assequi *justum* haberetur: orta hinc hospitum et supplicum, praeconum et legatorum Jura, quae ex genuina justi notione nulla, sed ex reverentia Deorum nata sunt. Illum, qui haec Jura violasset, non injustum solummodo hominum poena prosequebatur, sed impium etiam Deorum vindicta:

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε, ξείνων τε,
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ (1).

Ex sexcentis exemplis, quibus divinitus repetitum Jus hospitii probari possit, unam Ulyssis in Cyclopem imprecationem (2) afferre lubet.

Καὶ λίην σέγε μέλλε κιχήσεσθαι κακὰ ἔργα,
σχέτλι' ἐπεὶ ξείνους οὐχ ἅξεο σῷ ενὶ οἴκῳ
ἐσθέμεναι· τῷ σε Ζεὺς τίσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι.

Sic praecones etiam et legati sub Jovis tutela sunt, *Διὸς ἄγγελοι καὶ ἀνδρῶν.* Sed taedet in re notissima copiosius versari: qui plura velit, apud veteres ubivis reperiet. Monere tamen h. l. attinet, nos Graecorum exemplo tunc solummodo uti, ubi cum reliquorum populorum more conveniat: omnes, simulac sociali vitae genere religionis auctoritas firmata esset, haec jura celebraverunt. Homerus, cujus tempore principum populorum mores non incogniti erant, Ulyssem de

(1) Hom. Odyss. IX. 270.
(2) Hom. Odyss. IX. 477. Cf. Eurip. Cycl. vs. 125.

Phaeacibus metuentem facit (1), ne ὑβρισταί sint καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι quibus φιλόξεινοι opponuntur; inhospitales ἄγριοι vocantur (2), quippe a solita cognitorum tunc temporis populorum humanitate alieni. Atque haec dicta sunto, ne moribus Graecorum, quos testimonii gratia citare amamus, omnia metiri videamur.

§. 5.

Deorum autem vindictae non relinquebant eos, qui Divina jura conturbassent, sed gravissimis insuper poenis afficiebant: sic perjurium, quod graviter Dei (apud Graecos modo Jupiter (3), modo Inferi (4), modo Erinyes (5)) ulciscuntur, multi populi morte puniebant (6). Duplex igitur poena maleficis imminebat; neque mirum, quum Deos simul et homines facinoribus suis offenderent: homicida (7) etiamsi invitus necem alicui adscis-

(1) Odyss. VI. 120. Cf. IX. 175. sqq.
(2) Similiter Plinius H. N. L. VI. Praef. »inhospitalis feritas.«
(3) Iliad. IV. 157, 235.
(4) Iliad. III. 279. XIX. 258.
(5) Hesiod. Op. et D. 746. Nomen hoc etiam loco simplici v. scribendum est. Cff. Brunck ad Aesch. Sept. c. Th. 490. F. T. Welcker, Syll. Epigr. Gr. Bonn. 1828. p. 15. sq.
(6) E. g. Aegyptii Diod. Sic. I. 77.
(7) Erga Deos enim et homines homicida peccat: Antiphon Orat. IV. p. 125. sq. Steph. ὅστις οὖν τούτων (quibus vita hominum sustentatur) ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθεὶς τοῦ βίου ἡμῶν ἀνόμως τινὰ ἀποκτείνει (ἀποστερεῖ Reiskius: recte), ἀσεβεῖ μὲν περὶ τοὺς θεοὺς, συγχεῖ δὲ τὰ νόμιμα τῶν ἀνθρώπων. Add. Liban. Progymn. T. I. p. 38. D.

visset, expiatione poenam Divinam (1), mulctâ, qua familia necati contenta erat, humanam luere debebat (2).

§. 6.

Haec Religionis auctoritas, quae initio in hominum animos regundos et societatem rite stabiliendam egregiam vim habuit, quam falsas deinde juris notiones pepererit, in aperto est: dum enim ad ea, quae justa seu ad salutem omnium simul accommodata essent, confirmanda adhiberetur, Religio innumera commoda generi humano praestitit; at quum e contraria parte Religionem justitia sequi inciperet et vel sacerdotum imperandi cupidine corruptam vel anili hominum superstitione degeneratam leges confirmare deberent, recta quaedam Juris notio servari non poterat. Hinc mores, instituta, Leges veterum populorum ab omni saepe justi sensu remota: sufficit in memoriam revocasse, quae apud multos populos in honorem Veneris lex constituit (3), apud Babylonios oraculo fundata (4). Non equidem nescio νόμον non semper Legem esse intelligendam, sed sive consuetudine sive expressa sanctione haec fuerint constituta, Religione justi sensum saepe deperditum

(1) Cf. v. c. Herod. I. 35.
(2) Cf. Iliad. XVIII. 498.
(3) Cf. Larcher, Supplem. à la Philos. de l'Hist. p. 87.
(4) Herod. I. 99. Strabo XVI. p. 745. De simili Cypriorum instituto v. Justin. XVIII. 5.

fuisse satis, opinor, testantur. Ubi major esset sacerdotum potentia, ibi insignior Religionis efficacia cernitur, adeoque nullibi magis quam in Aegypto, Theocraticae imperii formae subactâ. E multis unum exemplum excitabo, ex quo pateat a religiosis ineptiis quantopere omnis justitiae distributio pendebat. Lex jubebat (1), qui volens sacram bestiam necaverat, morte, qui invitus, mulcta puniri. Hactenus bene: publice enim ea custodienda erant, quibuscum patriae salus conjuncta videbatur. Verum qui ibin aut accipitrem, reliquis scilicet bestiis sanctiores, interfecerat, sive consilio sive inscius facinus perpetrasset, semper capitis poena plectebatur. Fateor exempla ista, utpote ex fabuloso tempore plurimum petita, incerta posse videri: attamen diffusa haec per totam antiquitatem religionis indoles omnium temporum historia comprobatur: notum est apud Indos adhuc morem vigere, mortuo marito, uxorem comburendi (2); et universe tam luculenta quotidie apud incultos populos testimonia reperiuntur, quibus religionis et justitiae necessitudo, huic saepe noxia, probatur, ut, quin antiquitus idem obtinuerit, si vel deëssent exempla, dubitare non possemus.

§. 7.

Pertinet huc gravissima quaestio de Regia po-

(1) Herod. II. 65.

(2) Cf. de simili Crestonaeorum more Herod. V. 5.

tum erat judiciale munus, quod Reges dum obirent, ut vidimus supra, Deorum justitiam repraesentare videbantur (1). Apud omnes veteres gentes hoc munere functi sunt, et quae de Aegyptiis dubitata sunt, Paauwii nova proferendi studio potius quam veritatis speciei debentur (2).

Nunquam tamen, ne antiquissimis quidem temporibus, tantum huic Divinae Regum potestatis naturae tribuerunt, ut aeque ac Deos omnia eos recte facere augurarentur, neque sic extra communem juris notionem posuerunt, ut privatis a rege laesis jus naturale denegarent. Rex Aegyptiorum Bocchyris Regum officia scriptione complexus est (3); alius, Mycerinus, qui propter justitiae administrationem prae ceteris laudatur, et bene judicavit, et si qui de lata ab eo sententia conquererentur, benevolus iis obviam ivit (4). Apud Graecos regum injustitiam imprimis coërcet Jupiter: illam gravissime omnium inculpat Hesiodus, qua ex re tamen immerito doct. Platner (5) conficit eum Homero esse recentiorém. »Ex hac discrepantia"

---

(1) Cf. Hom. Iliad. IX. 98.

(2) Recherches Philosoph. sur les Egyptiens T. II. p. 268. — V. Pastoret op. laud. T. II. p. 84. Quae a Rege Bocchyri judicata erant, diu vim retinuerunt Legum vi aequalem. Diod. I. 94.

(3) Diod. l. c.

(4) Herod. II. 129. *τά τε ἄλλα γάρ μιν κρίνειν εὖ, καὶ δὴ καὶ τῷ μεμφομένῳ ἐκ τῆς δίκης παρ' ἑωυτοῦ, διδόντα ἄλλα ἀποπιμπλάναι αὐτοῦ τὸν θύμον.*

(5) Not. Juris et Justit. ex Homeri et Hesiodi carminibus explicit. p. 158.

(quod alter scil., in reges invehit, alter non) »serior," inquit, »aetas Hesiodi colligi potest: nam primis temporibus reges religiose colebantur, quippe ex rationibus sanctae familiarum conjunctionis constituti, a qua omnis populorum status penderet." Sed ne hoc dicam, regum, inprimis Agamemnonis, injustitiam Homerum improbare saepissime (1), est praeterea diversi habenda consilii ratio, quo uterque in poëmate conscribendo usus est. Quod enim in poëmate didactico, quod dici solet, quo de industria hominum vitia recensentur, quam in Epico, quo hic illicve obiter tantum notari possunt, hujusmodi animadversionibus potior locus fuerit, manifestum est.

Persas ab omni hac disputatione de Regia potestate separamus: apud quos ex Deorum successione neque ex Divina lege, sed e civili magis ratione repetebatur. Cambysi judices patriarum legum peritos de matrimonio cum sorore consulenti, nullam se invenisse legem, respondent,

(1) V. c. Iliad. XIX. 183. sqq.

'Ατρείδη, σὺ δ'ἔπειτα δικαιότερος καὶ ἐπ'ἄλλῳ
ἔσσεαι· οὐ μὲν γάρ τι νεμεσσητὸν, βασιλῆα
ἄνδρ' ἀπαρέσσασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

qui versus, si speciosam Platneri op. I. p. 94. explicationem, a qua Schneiderus in voce *ἀπαρέσκω* non videtur alienus, admittamus, novo argumento sint reparationem a Rege laesis esse praestandam. Sed et usitata Homeri locutio prohibet, quominus *βασιλῆα ἄνδρα* disjungamus, et verbum *ἀπαρέσσασθαι* placandi significationem desiderare videtur.

quae sorori directe permittit fratri nubere (1); ἄλλον μέν τοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιέειν τὸ ἂν βούληται. Potestatem Regiam non constitutam esse hac lege per se patet: quod vero eâ sit civiliter confirmata, memorabile est, cum reliqui populi a Deorum jam numine commendatam civilibus munire legibus nunquam instituerent. Judiciale etiam munus, quo rex cum sacerdotibus, qui βασιληΐων δικαστῶν collegium composuisse videntur (2), fungebatur, eo, quod Magorum disciplinâ, qua rex etiam instructus erat (3), patriae leges continebantur, magis quam coeca religionis reverentia nitebatur.

---

(1) Herod. III. 31. Rei narrationem ex eo depromsit Schol. ad Lucian. T. 1. p. 530. Hemst.

(2) Cff. Brisson. de Reg. Pers. imp. p. 189, Heeren Ideën Vers. Belg. T. 1. p. 451. Δικάσται isti βασιλήϊοι Brissonio de Regn. Pers. I. p. 119. iidem videntur ac περιχῶροι: distinguuntur tamen ab Aeliano I. 34. Illis, qui scil. pro Rege jus dicerent, graviores forte causae obferebantur, a Rege electis ad vitam (Herod. III. 31.) et si injuste judicarent, ab ipso punitis (Her. VII. 194, V. 25, qui tamen postremus locus simul Heerenii d. l. doctrinae, omnes hos judices sacerdotes fuisse putantis, obstare videtur).

(3) De principis Persarum educatione memorabilis locus est Platonis Alcib. I. p. 121. C. — 122. A. Steph.

SECTIO TERTIA.

DE JURIS CONSTITUTI EFFICACIA IN JUSTI NOTIONEM.

§. 1.

Quam insignem ubique vim in justi notionem religio exercuerit, vidimus: sunt praeter eam multa, quae, ut reliquas omnes notiones, sic hanc etiam a prima sua simplicitate abalienarunt, et sensim sensimque, ignorantibus saepe et invitis ipsis hominibus, hujus loco aliam substituerunt. Quo enim a primaevo naturae statu propius absint homines, primoque videantur obtutu facilius posse genuinas adoptare rerum notiones, eo arctius rebus externis tenentur et eo ex diversissimis magis elementis compositas Ethicas notiones fovent. Justi notio, quae, dum neque communis religio neque commune quasi pactum homines conjungerent, non simplex esse non poterat, simul cum societate orta omnia ista redolere incepit, quae ex societatis origine suam duxerunt: de religione vidimus: proximum locum obtinet jus positivum, sive hominum consuetudine et moribus firmatum fuerit, sive scripto consignatum; cujus vis tum generalis cernitur in omnem omnium juris notionem, tum specialis penes singulos populos, qui, quod per aeva religiose observassent, quin natura sua justum esset, non dubita-

rent. Illud primum jus constitutum effecit, quod, cum justum eo firmari et salutem ergo omnium promoveri viderent, istos qui sine hoc jure i. e. extra civitatem viverent, in conditione injusta versari opinarentur, quippe qui, si justi speciem agnoscerent, hanc sine dubio fixam inter se et stabilem reddere conarentur. Et quum formam a re separare parum Philosophum istorum temporum ingenium non sineret, ab omni jure alienos saepe eos praedicarunt, apud quos non eandem juris constituti formam reperirent, ac apud se invaluerat: hinc imperfectum et iniquum judicium, quod de justitiae apud peregrinos populos administratione et efficacia veteres dare solent, hinc vituperatio eorum, qui ipsorum institutis similia desiderant. Ab Homero (1) Cyclopes ἀθεμίστοι dicuntur: nam

τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες (2).

Civili conditione assuefacti, justitiam e civitatis ratione metiri et inde, quod in hujus tutelam se recepissent, omne singulorum jus deducere aggressi sunt: nulla igitur obligatio erga peregrinos (3),

---

(1) Odyss. IX. 106.

(2) Ib. vs. 112. Cf. Eustath. ad h. l.

(3) Cretenses peregrinos in patria sua honeste et hospitaliter recipiebant (Odyss. XIX. 186. Athen. Deipnos. IV. 10), quos vero navibus praedariis captivos reddidissent, dividebant inter se et in servitutem redigebant (Athen. VI. 18). — Romani antiquitus *peregrinos* vocabant *hostes*, v. Legg. XII. tabb. III. Cf. L. 234. ff. de Verb. Sign.

nisi supplices sint vel hospitio recepti, quibus ob Divinam legem parcendum; nulla cujuscunque generis erga hostes, quos qui insidiis structis circumveniant et qui armis fortiter superent, aequalem laudem merentur (1), quos solemniter mactare (2) et mortuos dilacerare (3) non indecorum habetur (4); nullum vero scelus adeo exsecrabile, quam si quis civitatis vinculum disrumpat, quo scil. singulorum omnia jura continentur: qui intestinum bellum movet, omnem societatis, *justitiae* et religionis sensum exuise dicitur (5).

§. 2.

Quum civitatis maxime rationem omnis juris distributio assectaretur, ipsa primaria justi notio paullatim valde immutata est. In civitate enim magnum fortunarum et conditionis discrimen diu abesse non potuit: qui opibus vel dignitate civitati prodessent, potiori etiam jure sibi videbantur digni: ab altera parte cum e bello, tum ex tenui nonnullorum conditione servitus orta: aequum jus, ficta virium aequalitate fundatum,

(1) Hom. Iliad. XIII. 277.
(2) Iliad. XXIII. 175.
(3) Iliad. L. XXII.
(4) Cf. W. Wachsmuth Jus gentium, quale obtinuit apud Graecos ante bellorum cum Persis gestorum initium. Berol. 1822. p. 48.
(5) Iliad. IX. 63. Cf. Arist. Polit. I. 3. p. 298. Duvall.

amissum et in civitate ordinanda ubivis fere penitus exstinctum; tandem ipsa justi notio apud multos populos non amplius in *juris aequalitate*, sed in *suum cuique tribuendo* posita est. Non nego posterius hoc eo sensu posse accipi, ut cum altero conveniat: sed sic non omnes intellexerunt, nequaquam certe Lacedaemonii, a Lycurgo legibus dotati, qui *ἰσότητα* istam diserte respuerunt et in alterâ ejusdem specie, in τῷ κατ' ἀξίαν solo justitiam collocarunt (1). Multi tamen populi, etsi pro varia hominum conditione varia iis jura tribuerent, in juris tamen aequalitate, qua societas omnis fundata (Regiam utique potestatem a Diis ortam excipimus) justitiam ponere non destiterunt: exemplo nobis sint antiquissimi Graeci, qui *justam* duxerunt omnium aequalitatem, quamvis principibus multa licere opinarentur

(1) Cf. Plutarch. Symp. L. VIII. p. 729. BC., *ὁ γὰρ Λυκοῦργος οἶσθα δήπουθεν, ὅτι τὴν ἀριθμητικὴν ἀναλογίαν, ὡς δημοκρητικὴν καὶ ὀχλικὴν οὖσαν, ἐξέβαλε ἐκ τῆς Λακεδαίμονος· ἐπεισήγαγε δὲ τὴν γεωμετρικὴν, ὀλιγαρχίᾳ σώφρονι καὶ βασιλείᾳ νομίμῃ πρέπουσαν· ἡ μὲν γὰρ ἀριθμῷ τὸ ἴσον, ἡ δὲ λόγῳ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονέμει· καὶ οὐ πάντα ὁμοῦ μίγνυσιν, ἀλλα ἔστι χρηστῶν καὶ πονηρῶν εὔσημος ἐν αὐτῷ διάκρισις, οὐ ζυγοῖς οὐδὲ κλήροις, ἀρετῆς δὲ καὶ κακίας διαφορᾷ τὸ οἰκεῖον ἀεὶ διαλαγχανόντων.* Judicium suum subjicit Plutarchus dignissimum lectu. Distinguit idem (?) de Homero T. V. p. 815. Mor. ed. Wyttenb. Cf. Plato illustri loco Legg. VI. 757. BC., ibique Ast. Adn. p. 289. Gorg. 508. A. et Schol. ad h. l., item Isocr. Areop. p. 285. et Bergman. ad h. l. in Ed. sua Animadv. p. 104. Cf. omnino Cel. Luzac de Socr. Cive p. 60, 65. sqq.

vulgari hominum generi vetita (1). Sic parum exculta hominum mens sive a religione, sive a sociali vitae genere, sive ab imperii forma, sive a quocunque momento, quo impellitur, opiniones sibi obtrudi patitur quae cum generali, quam jam accepit, notione pugnant, et contrarias simul saepe retinet. Per se tamen patet penes singulos homines primariam, quam diximus, justi notionem variis istiusmodi causis funditus fuisse exstinctam, donec fortasse sive constituti juris mutatio, ut apud Athenienses, sive Philosophorum disciplina eam restitueret. Inaequalem juris distributionem apud istos praesertim populos varia hominum conditio effecit, apud quos in certos quosdam ordines ipsa Lege accurate descriptos divisi erant, Aegyptios v. c., Indos cet. Ad quo superiorem Indicam castam maleficus pertineat, eo graviori mulcta punitur, Braminis exceptis, qui et ipsi levissime puniuntur, quosque qui offenderit gravissime plectitur (2).

§. 3.

Imperii forma, qua primis temporibus propter religionis vinculum et regiae potestatis auctoritatem populi non multum differebant, primum apud

(1) Cf. Wachsmuth, p. 23.
(2) V. Menu Legg. VIII. 338. cit. Heer. Ideën vers. Belg. T. II. p. 381. Cf. F. Köppen Rechtslehre nach Platon. Grundsätzen. Leipz. 1819. p. 136.

Graecos a reliquis diversa esse coepit: quum enim parvis civitatibus inter se essent distincti, singulos homines tyrannorum oppressio vexabat magis, quam in majoribus Orientalibus regnis, ubi invidiosa tyrannorum petulantia aulâ maxime continebatur. Accedebant plura: principum arrogantia major quam potestas, crescens literarum studium, religionis vilescens auctoritas, alia; quibus effectum est, ut cum Regum pertaesum esset, Divina horum institutione non diutius retinerentur, quominus eos ejicerent: imo simul ac liberam Reipublicae formam condidissent, antiquam suam superstitionem missam fecerunt, in Regia potestate nihil non terrestre deprehenderunt et solam imperii formam, quae ἰσονομίᾳ vel, qua haec nitebatur, ἰσοκρατίᾳ (1) fundata erat, justam esse duxerunt. Quum autem a jure constituto magna ex parte omnis justi notio penderet, Graeci servitutem exuentes, simul omnia ista injusta arbitrari coeperunt, quae cum tyrannide essent conjuncta. Magni hic momenti est Herodotea narratio de conjuratorum Persarum deliberatione (2), in qua, sive cum Creuzero (3) plane fictam suspiceris, sive cum Heerenio (4) non fictam qui-

(1) Herod. V. 92.
(2) Herod. III. 80. sqq.
(3) Histor. Kunst der Griechen p. 108.
(4) Ideën vers. Belg. T. I. p. 407. Cum celeb. viro credo, quominus hujusmodi deliberationem non habitam esse supponamus, expressam Herodoti declarationem vetare, quam

dem sed Graeco more ornatam, Graecorum certe ingenium agnoscas: hoc saltem memorabile videtur, Herodotum solum Otanem, Democratiae patronum, ex justitiae ratione disserentem facere, dum reliqui paucorum vel unius imperium ex sola utilitatis ratione defendant, nisi unum Darii argumentum (1), ex populari justi notione desumptum, excipere velis, nempe non integrum esse *πατρίους νόμους λύειν ἔχοντας εὖ*, quod in contrariam partem ab Otane usurpatum, solum est, quod in hujus disputatione Persicum colorem referat. Reliqua, v. c. quod Monarcha *ἀκρίτους κτείνει* (2), neque *βουλεύματα πάντα ἐς τὸ κοινὸν ἀναφέρει*, neque *ὑπεύθυνον ἀρχὴν ἔχει* (3), Graeca sunt et postremum quidem adeo, ut nonnisi homines liberae imperii formae assueti illud intelligere possent. Hanc *ἰσονομίαν*, qua

ὅ τ' ἀσθενὴς
Ὁ πλούσιος τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει (4)

quantopere inprimis Athenienses in sua civitate

---

quam minus recte Valckenaer. ad Herod. h. l. incerta loquendi formula esse conceptam statuere videtur. Formularum certe exempla, quae ex L. IV. C. 5 et 82. allegat vir summus, alius generis sunt.

(1) Cap. 82.

(2) Cf. Demosth. (?) Orat. de foedere Alex. p. 163. C.

(3) Wessel. ad h. l. Aesch. Pers. 213. Arist. Polit. II. C. 10. p. 333. — In ipso Jovis imperio hoc odiosum putabatur. Aesch. Prom. V. vs. 332.

(4) Eurip. Suppl. 433. sq.

adamarint, ex ipsorum historia notum est (1).

(1) Haec ἰσονομία quidem in omnibus fere civitatibus Graecis publico ingenio, a tyrannorum dominatione non solâ verum etiam nomine alieno, recepta et legibus civilibus confirmata erat: at diversa tamen ratione. Quam diversa principia Lacedaemonii adoptarint et Athenienses, supra cit. loco Plutarcheo Symp. VIII. Q. II. p. 729. BC. optime evincitur. Civitatem a Lycurgo constitutam Graecam justi notionem accurate referre et hanc firmatam potius quam innovatam esse a Legislatore judicat Welckerus, Die letzten Gründe von Recht, Staat und Strafe p. 388. coll. c. Manso Sparta I. 91, 112. sqq. Optime: modo Graeca notio, quae nono ante aeram nostram seculo valuit, cogitetur. Sed passim Graeci ulterius progressi sunt et aequalitatem non in eo solo, ut eodem omnes Jure uterentur, consistere, verum requiri etiam, ut aequalem quisque Juris distribuendi partem obtineat, arbitrati sunt. Hanc remissiorem justi notionem repraesentat legislatio Attica, variis tamen publicae utilitatis momentis moderata, quum fixum principium non utique sequeretur Solon, qui, non quae optimae erant, sed quae optime civibus suis conveniebant, se leges dedisse perhibebat. Discrimen inter harum civitatum formas passim auctum est, quum Lacedaemonii leges suas, tanquam divinitus acceptas (Herod. I. 65, Xenoph. de Rep. Laced. p. 683.), religiose retinerent et pie venerarentur (Plut. Apoph. Lacon. 28, 59 et passim, Gataker. ad M. Anton. de reb. suis L. X. p. 305. Wyttenb. ad Plut. de Ser. Num. Vind. p. 25. Animadv.), Athenienses contra in popularis imperii licentiam quotidie magis prolaberentur, ita ut hae civitates quasi fines oppositos descripsisse videantur, quibus omnes Graeciae respublicae continerentur. Ceterum si, singularum Legum memorabilium habita ratione, diversa earum principia uberius exponeremus, videremur nobis deserere potius quam rite explicare argumentum nostrum. Monere tamen hoc loco attinet, varias rerumpublicarum formas diversissimas apud Graecos peperisse justi notiones, propter magnam scil. Juris constituti efficaciam, et mirifice simul acuisse Philosophorum ingenium, quod ad comparandas istas notiones et optimas eligendas ultro ferebatur.

Ceterum hanc juris positivi in justi notionem efficaciam, de qua h. l. vidimus, confirmat rursus lingua Graeca, qua τὸ δίκαιον τὸ ἔννομον significare coepit (1).

SECTIO QUARTA.

DE CRESCENTIS HUMANITATIS VI IN EXCOLENDAM JUSTI NOTIONEM.

§. 1.

Quae monenda erant de religione et jure constituto, cum quibus nempe inde ab inita societate proxime conjuncta fuit notio justi, expositis, ad ipsam revertimur, et quantopere a crescente in dies humanitate exculta fuerit, ostendere conabimur. Justum primum habitum esse diximus illum hominum statum, in quo aequales ita oppositae sint vires, ut alter alterius incommodo quod grate se afficiat, assequi non possit, deinde, ex qua notione omnis societas firmata est, in quo fingantur certe esse aequales. Hanc *aequilibritatem* (2), unde *aequalis tributio* (3) nascitur, quidquid fulciat vel conturbatam restituat, item justum est: qui rite judicant, sunt ergo justi, primique hoc nomine ornati: quidquid hanc di-

(1) Cf. Hesych. v. δίκαια.
(2) Cic. de N. D. I. 39.
(3) Ib. C. 19.

minuat vel opprimat, injustum est; non improbandum adeo, quod Ethicae contrarium est: sed arcendum potius, quod relationem vitiat, quae inter homines sola unumquemque sinit eodem tempore in grata conditione versari: utrum consulto factum sit, nec ne, non quaeritur: utique injustum est. Quam igitur communis salutis gratiâ poenam in eos constituerant, qui facinoribus suis societatis legem violassent, eandem, qui inviti et qui volentes peccaverant, pati debebant: quin imo hujus judicii integritas tam fixe omnium animis inhaerebat, ut non magis hos quam illos ipsorum Deorum iram, quippe justitiae vindicem, prosequi arbitrarentur. Notum est, huic opinioni, quae totam, quae fabulis continetur, antiquitatem, perlustrat, quam insignia artis tragicae monumenta debeantur, quae ad commiserationem hominum commovendam nil accommodatius proferre poterat, quam hominis praeter suam voluntatem injusti, Diisque perosi imaginem. Oedipus, etsi casu fortuito seu fati necessitate ad patris necem et matris connubium inductus, se appellat *τὸν κάκιστον ἄνδρα* (1) et

τὸν ὄλεθρον μέγαν,
τὸν καταρατότατον,
ἔτι δὲ και θεοῖς
ἐχθρότατον βροτῶν. (2)

---

(1) Soph. Oed. R. vs. 1433.
(2) Vs. 1344. sqq.

et Creonti a Deo sciscitari volenti, quid de se faciendum sit, respondet

ἀλλ᾽ ἥ γ᾽ ἐκείνου πᾶσ᾽ ἐδηλώθη φάτις,
τὸν πατροφόντην, τὸν ἀσεβῆ μ᾽ ἀπολλύναι. (1)


Orestes, quamvis Apollinis jussu matri necem adscivisset, a Furiis, *injustae* caedis vindicibus (2), agitatur; et ex veteri fama refert Pausanias (3) neminem Troezeniorum aedibus suis eum recipere voluisse, antequam sanguinis maculam expiationibus eluisset. — Obiter monere liceat, hac veterum opinione mirifice usos esse tragoedos illos ad tragicam voluptatem augendam eosque hoc titulo recentioribus multum praestare, qui antiquam istam historiam nostris temporibus in scenam retulerunt: in horum enim poëmatibus infelix solum ante oculos ponitur eorum conditio, quos innocentes iniqua sors premit: dum in illorum fabulis iidem non infelices solum sed flagitiosi etiam sibi ac reliquis videantur et abominandi propter Deorum iram. — Antiquissima historia repleta est hujusmodi exemplis, quibus probatur consilium et voluntatem malefici pro nihilo esse habitam. Adrastus, qui invitus fratrem necaverat, a patre Rege regno ejicitur, bonis mulctatur Deorumque iram

(1) Soph. Oed. R. vs. 1440. sq.
(2) Soph. Ajac. 826. sqq. Elect. 113. Cf. Aesch. Eumen. 177. sqq.
(3) L. II. C. 31. §. 11. Cf. Heathius Not. in Eurip. fragm. p. 184.

imitari volenti, quid de ...
let

ὡς ἐδηλώθη φάτις,
τὸν ἀσεβῆ μ' ἀπαλλάξαι. (1)

[?]linis jussu matri necem ad-
[?]utae caedis vindicibus (2).
i fama refert Pausanias (3)
a aedibus suis eum recipere
nguinis maculam expiationi-
monere liceat, hac veterum
esse tragoedos illos ad tra-
ndam eosque hoc titulo re-
testare, qui antiquam istam
mibus in scenam retulerunt:
natibus infelix solum ante
conditio, quos innocentes
um in illorum fabulis iidem
sed flagitiosi etiam sibi ac
bominandi propter Deorum
historia repleta est hujus-
s probatur consilium et vo-
nihilo esse habitam. Adras-
em necaverat, a patre Rege
mulctatur Deorumque iram



criminis expiatione avertit (1). Sed quorsum plura? Patet primum in sola actione justitiam positam fuisse: unde, qui non injusti tantum, sed de industria injusti sunt, Homero dicantur *οὔτι νοήμονες, οὐδὲ δίκαιοι* (2).

§. 2.

Ex hac justi notione facile intelligitur physicam mali causam aeque injustam et poena dignam habitam esse ac moralem. Phoenices, Judaei, Carthaginienses, alii, animalia, quae contra leges egerant, poenis prosequebantur, quam ridiculam punitionem medii aevi tempore plus semel repetitam videmus. Thasii statuam publicam, quae procumbens hominem necaverat, ex Lege et interveniente judicum sententia sustulerunt et in mare projecerunt (3). Delphicum oraculum de aeneo bove consultum, a cujus cornu puer imprudenter ludens lethale vulnus acceperat, homicidium assueto more expiandum esse respondit (4): postremum

---

(1) Herod. I. 25. Cf. Apollod. II. 4, 6. III. 15. 1. Apud multos populos homicidii involuntarii poena exilium erat.

(2) Odyss. II. 282.

(3) Dio Chrysost. Orat. XXXI. p. 340. Morell. *νόμου δὲ ὄντος, καταποντίζειν κρίνοντος, ἐάν τι τῶν ἀψύχων ἐμπεσὸν ἀποκτείνῃ τινα, οἱ τοῦ τεθνεῶτος προςήκοντες αἴρουσι δίκῃ τὸν ἀνδριάντα καὶ κατεπόντωσαν.* Cff. Herod. I. 189. Plutarch. de Ser. N. Vind. p. 63. Wyttenb. Apud Athenienses mos iste, ab antiquitate receptus, diutissime remansit. Pausan. I. 28.

(4) Pausan. V. §. 27.

hoc exemplum videri posset ad religionis potius auctoritatem referendum; sit ita: attamen expiatio nihil erat nisi deprecatio irae Divinae, quae omnem sanguinis effusionem ulciscebatur: justitia igitur Divina, a qua certe nihil iniqui exspectari poterat, facinus ab inanimato aere profectum, non inultum reliquisset. Videbuntur fortasse ista a recta ratione adeo aberrare, ut merito fides eis denegetur, sed hoc probe attendendum est, quod egregie ex justi notione, quam supra exposuimus, profluit, antiquitus justitiae munus in peccatis potius quam in improbis puniendis collocatum fuisse (1): hinc homicidium, quamvis involuntarium, semper punitum, hinc, ut graviter maleficium plectatur, supplicium in totam malefici familiam sumptum, qui mos apud multos populos, Macedonios (2) e. gr., diutissime remansit: nec mirum profecto, quum ipsum adeo Deorum sibi sequi exemplum viderentur. Qui diserte justus Deus nuncupari solet, Deus Judaeorum non improbos modo sed liberos eorum et nepotes sceleris poenam esse daturos adseverat (3). Similem Graecorum Deum omnis historia antiqua, quae mythis continetur, veterumque scripta probant: in sententiis, quae Solonis feruntur, poena certe liberis

(1) Imprimis in Theocratiis. Apud Judaeos criminis expiatio necessaria erat, si vel ipse maleficus incognitus esset. Deuter. XXI. 1—9.

(2) Curtius vit. Alex. M. VI. 11. 20. VIII. 8. 8.

(3) Deuter. V. 9. Exod. XXXIV. 7.

dicitur imminere, si parens fortasse eam effugerit (1); iniquam istam Deorum justitiae distribuendae rationem accusant Theognis (2), Euripides (3), alii: quin parentum liberi non solum luant facinora, sed subditi Regum: propter foedera a Paride violata, Trojanos Juppiter multabit

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν (4).

§. 3.

Primis igitur temporibus justi notio ita comparata erat, ut omne, quod justam relationem homines inter infringeret, injuste factum aestimaretur eoque nomine graviter plectendum, cum liberi

---

(1) Gnomogr. ed. Sylb. 1692. p. 119.
Ἀλλ' ὁ μὲν αὐτίκ' ἔτισεν, ὁ δ' ὕστερον· εἰ δὲ φύγωσιν
Αὐτοὶ, μηδὲ θεῶν μοῖρ' ἐπιοῦσα κίχῃ,
Ἤλυθε πάντως, αὐτίκ' ἀναίτια ἔργα τίνουσιν
Οἱ παῖδες τούτων ἡγεμόνων ὀπίσω.

(2) P. 59. Sylb.

(3) In deperdita fabula Alcmaeone. V. Stobaeus §. LXXVI p. 454. Versum Grotius excerpt. Trag. p. 422. restituit
Τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους
θεοὶ τρέπουσι
Cff. Plutarch. de Sera Num. Vind. p. 48. et Wyttenb. h. l. et universe de hac veterum opinione (citati a W tenb.) Valcken. ad Phoen. 941. et Hippol. 826. et Spanhem. ad Callimach. p. 265.

(4) Iliad. IV. 160. sqq. Cf. Hesiod. Op. et D. vs. 222

arbitrii nulla fere haberetur ratio, neque insontium supplicium, modo criminis poenam atrociorem redderet, iniquum videretur. Talis autem opinio diu vigere non potuit: simulac Numinis sanior notitia evanesceret, et justitiam homines, non solum ab *utilitate* progenitam (1), sed cum morum etiam disciplina proxime conjunctam venerari inciperent, non tantum quid, sed a quo, quo consilio et in quem finem factum esset, considerandum esse intellexerunt; viderunt, ut barbaro at solito more dicam, subjectivam esse poenalitatem, quae non minus quam objectiva poenarum modum constituere debet. Quod tamen hujusmodi opinionum immutatio non protinus, sed cum majore morum humanitate, sanioribus introductis legibus et Philosophiae vi increscente sensim sensimque locum habuerit, manifestum est. Historia cujusvis populi adscensum istum ad rectam rationem gradatim nobis proponit: unde fit, quod apud plurimos antiquitatis populos mirabilem vulgo bonorum ac pravorum institutorum et legum videamus confusionem, et ab una parte barbariei vestigia pressa, dum ab altera lux humanitatis insigniter candescat. Ut e multis unum exemplum sumamus ad argumentum pertinens, in quo modo versabamur, Aegyptii animalis sacri interfectorem, etsi invitus egisset, morte multabant (2), quamvis simul insontium vitam adeo custodiendam arbitrarentur,

(1) Horat. Sat. I. 3. 98.
(2) Herod. II. 65. Cf. supra p. 29.

ut gravidam mulierem, mortis damnatam, donec peperisset, asservari juberent (1).

§. 4.

Non sola autem poenarum infligendarum ratio, sed ipsum poenarum genus crescentem humanitatem redolet. Antequam societate homines conjuncti erant, quin omne, quo ingrate afficerentur, repellere liceret, ne potuit quidem revocari in dubium. Societatem contrahentes hanc libertatem duplici vice restrinxerunt ipsi: 1°. enim ea tantum arcendi liberam facultatem retinuerunt, quibus afficerentur *injuriâ*, seu societatis fundamento despecto; 2°. hanc injuriae depellendae facultatem singuli societati reliquerunt. Sin tamen societas ita comparata esset, ut singulorum Jura defendere non posset, vel injuria hujusmodi esset, ut nonnisi privata vi illico opposita comprimi valeret, propriarum virium usus reviviscebat: quod enim semper et ubivis vim vi depellere licebat, manifestum videbatur et expressa insuper legis sanctione nonnunquam confirmabatur (2). Quatenus autem hic virium usus exercebatur juste (ut in abusum non abiret), quaerebatur; et juris principio accommodate convenientem mali reparationem petendam esse viderunt: ea enim ratione turbata aequalitas restituebatur. Quid vero, si

(1) Plutarch. de S. N. V. p. 25. Wyttenb. Cf. Edit. Ann. p. 40.

(2) Rhadamanthus primus dicitur hujusmodi legem promulgavisse. Arist. Ethic. ad Nicom. V. 8. T. II. p. 64. Duvall. Eudem. IV. 3. Apollod. II. 4. 9.

damnum injuria datum reparari non posset? aequissimam sibi visi sunt et simplicissimam simul minimeque dubiam vindictae regulam deprehendisse in par pari referendo. Non equidem ignoro, talionem proprie non ad poenas referendam esse, quae scil. cogitari non possunt, nisi civitatis auctoritate constitutae: hoc loco tamen eam non praetermittendam esse censui, tum quoniam principale fundamentum est antiquae legislationis poenalis (1), tum quoniam omnem vindicandi juris sui facultatem, privatis sive relictam sive concessam ex ea dimetiebantur. Quid fuerit jus talionis et quibus finibus descriptum, ipsum nomen significat: testatur praeterea tota antiquitas adeo, ut exemplis illud illustrare superfluum sit: verum nonnunquam particulari maximeque memorabili formâ se oculis nostris offert, qualem silentio praeterire non possumus. Imprimis hoc pertinet ad homicidium, quod, quamvis apud multos populos diutissime privatae ultioni relictum, tamen ejus generis sit, ut proprie sic dicenda talionis poena non potuerit vindicari, physicâ scil. facultate laeso ademptâ jus suum persequendi. Difficultatem hanc sustulit familiarum vinculum atque effecit, ut qui vere laesi

(1) Hinc, apud Graecos v. c., omnes voces, quae *poenam* denotant, archetypam habent significationem par pari referendi, unde simul *remunerationem* exprimunt. Attendendum praeterea est ad vim vocabulorum Homericorum ἀνάτιτος (Iliad. XXIV. 213, Odyss. XVII. 51, 60.) παλίντιτος (Odyss. I. 379.) et Hesiodei ἀμοίβη Op. et D. vs. 334.

haberentur, ejus, qui interfectus erat, propinqui essent, quippe quibus de suo esset aliquid ademptum. Ab Orientalibus populis hoc esse desumptum, universa eorum socialis vitae ratio docet: non tantum propinqui necem ulciscendi jus iis tributum, sed obligatio imposita erat. Apud Graecos idem jus moribus erat receptum, et legibus confirmatum: ac si cupidine Lege probatâ depravatum videmus et ad vilem pecuniae comparandae rationem abjectum, nihilominus principium suum, in laeso familiae jure positum, manifesto retinet. Frequens etiam et memorabilis antiquitus talionis usus fuit adversus calumniatores, qui eodem afficiebantur malo, quod aliis pararant: qui v. c. crimen capitale alicui falso objecerat, homicidae assimilandus videbatur et ipse ideo capite plectendus; quod simul probat jam antiquissimo tempore non perpetrati solum sed etiam instituti criminis poenam fuisse exactam. Exempla enim sunt perantiqua, in quibus propter gravitatem suam ad Danielis supplicium provoco, quod cum Divino miraculo effugisse videretur, ipsius accusatores cum uxoribus et liberis idem pati cogebantur (1). Universe autem jus talionis valebat in iis causis maxime, de quibus expressa lege non cautum erat vel caveri non poterat, v. c. in injuriis arcendis et vindicandis, quibus diversarum civitatum cives aut universi populi se

(1) Dan. VI. 24. Quod h. l. de Juris specie potius, quam de tyrannico arbitrio cogitandum sit, evincunt accusatorum numerus et auctoritas, quâ ipsa Regia potestas circumscripta fuisse videtur. Cf. dict. Cap. passim.

mutuo petiissent: testis nobis est omnium antiquo gestorum bellorum historia, testes v. g. causae belli Trojani, quibus exponendis pater Historiae libros suos exorditur: utrinque mulieres raptae, semperque ἴσα πρὸς ἴσα reddita.

§. 5.

Sufficiant haec de talione, in qua ipsa nihil injustum neque inhumanum reperitur, cuique igitur quatenus legislatio poenalis superstrueretur, haec non valde improbabilis vulgo evadebat; eorum criminum vero, quibus imperans aut civitas laederetur, reliquorumque, quae talione vindicari non possent, poenae, non potuit, quin principio sanae justi notioni vehementer repugnarent. Praecipua causa sita erat in temporum barbarie, cui accedebat, quod leges saepe non sufficiebant, aut certe expressa sanctione non erant distinctae, ita ut ab ingenio principis aut judicum ira poenarum gravitas penderet. Vitiis istis cum populorum infantia necesse conjunctis primum obviam itum est fixis judicum collegiis constituendis ex optimis civibus, et in longius vulgo tempus (1) lectorum. Talia judicia, quae primum de gravioribus delictis instituta sunt, ad populares nugas pellendas et meliores juris notiones substituendas plurimum contulisse videntur. Hujusmodi quid nobis dare videntur Aeschylus et Euripides, Ores-

(1) Apud Persas ad mortem usque munere fungebantur. Herod. III. 31.

tem, qui vulgari opinione injustus habebatur (1), e veteri traditione referentes Areopagi judicio absolutum (2). Sed paullatim viderunt homines aequam justitiae distribuendae rationem existere non posse, nisi certus poenarum modus constituatur et cuique sua tribuatur delicto, quam rationem Zaleucus primus dicitur legibus suis adoptasse (3). Poenarum modum constituendi studium in omnium populorum historia apparet, eo feliciori eventu probatum, quo humanitatis laude essent praestantiores. Conatus optimo consilio suscepti saepe tenuem tantum et confusam justi notitiam evincunt: sic Persas accipimus nunquam propter unum quantumcunque delictum maleficos morte punivisse, a delictorum numero potius quam gravitate poenalitatem metientes. Institutum laudavit Herodotus (4).

§. 6.

Quemnam sibi veteres poenarum finem proposuerint, frustra quaereres. In sola Theocratica imperii forma simplex erat, scil. ut divinam vindictam deprecarentur eive satisfacerent. In reliquis modo malum malo referendi studium, modo abs-

(1) Cf. supra p. 45.
(2) Aesch. Eumen. vs. 752, Eurip. Iphig. Taur. vs. 968—974. Cff. Schol. ad Orest. vs. 1643. et Pausan. I. 28. Quae huc pertinent, accurate exposuit J. v. Westrik Disp. de Aesch. Choëph., deque Electra cum Soph. tum Eurip. L. B. 1826.
(3) Stob. Serm. CXLV. ed. Wechel. p. 458.
(4) L. I. C. 137. Cff. omnino de hac Lege, quae universe jubebat malis a reo perpetratis praeterita bene acta comparari, quos citat Valcken. ad Herod. VI. 30. et VII. 194.

terrendi consilium, modo alius quilibet poenarum finis insuper observatur, ita ut certus nulla ratione constitui queat.

§. 7.

In juris distribuendi ratione diutius commorati sumus, in qua scil. antiquo justitiae munus imprimis collocabatur. Hoc loco sibi rursus constat lingua Graeca et idearum progressum proxime subsequitur: *τὰ δίκαια* enim simplicem poenae significationem accepit; et amant Graeci vocem istam oppositis verbis cum *ἀδικία* conjungere, ut *injustitiae poenam* denotent (1).

§. 8.

Universe autem vel eo tempore, quo ipsa notio justi crescentem humanitatam nondum redolebat et ad solius facti gravitatem attendebatur, remedia quaesiverunt homines, quibus calamitatibus occurreretur eorum, qui non consilio sed infelici sorte injusti evasissent. Antiquissimis temporibus, ut supra demonstravimus, omnibus homicidis eadem poena imminebat: miseratione ducti poenam istam effugiendi occasionem iis dare conati sunt, qui inviti scelus perpetrassent, et hoc consilio loca quaedam designarunt, in quae justâ poenâ liberi se recipere possent. quod institutum,

(1) Cff. v. c. Plato Eutyphr. p. 50. *πῶς οὐ δεῖ δίκην διδόναι ἐκεῖνον, ὅς ἂν ἀδίκως τινα ἀποκτείνῃ.* Plutarch. Vit. Thes. 5. C. *ἑαυτῶν ἀδικίας τὰ δίκαια πασχοῦντας.*

eum justitiae notioni non valde consentaneum esset, solito more ad religionem retulerunt. Jus asylorum, quod in moralem et civilem veterum populorum conditionem maximi momenti fuit, verbo attingere oportebat: materies vero amplior est, et alibi accuratius tractata, quae hoc loco expresse exponatur. Verum hoc probe tenendum est, quamvis asyla postea omnium flagitiorum receptacula existerent, initio certe in eorum tantum gratiam fuisse instituta, qui inviti legem transgressi erant.

§. 9.

Uti apud omnes omnino populos sensus humanitatis opiniones de justitia multum informavit et castigavit, ita apud singulos plurimum effecerunt civitatis status, vitae agendae ratio, temporum conditio. Populus, quem sive patriae situs, sive naturalis industria ad commercium incitaverat, peregrinos illico aestimare jurisque capaces existimare debuit: dum alius contra agriculturae deditus et in se ipse vitae sustentandae remedia inveniens illos non negligere illisque jura tribuere non poterat. Equestre ingenium, quo belli Trojani heroës excellebant, quodque diutissime retinuerunt Lacedaemonii, mercaturae scil. et opibus nullam operam dantes, specialia quaedam officia praescripsit, quae religiose observabantur: non solum non abuti viribus oportebat, sed opitulari etiam iis, quorum sibi vires non sufficiebant, senibus,

mendicis, supplicibus: horum enim ipse Deus vindex existit (1).

Quantopere, quamvis ad idem consilium justa cuique tribuendi tenderent, pro humanitate, qua pollebant, via ac ratione differrent homines, exemplo illustrabo. Quod liberos parentes venerari decebat, familiarum vinculum et innatus parentum amor protinus effecerant: praecipiebat etiam justitia, simulac tanquam pars virtutis ad moralem doctrinam referretur (2). Omnes fere populi hoc officium legibus sancierunt; sed dum plurimi parentes custodiendos et nutriendos (3) praeceperant, Massagetas legimus mactasse eos et comedisse honoris causa, ut in liberorum corpore parentum sepulcrum esset (4). Longum est plures citare hujus generis leges, quas barbara quorumdam populorum mens juste sibi excogitasse videbatur: qui plura velit, adeat scriptores Scepticos et Ecclesiasticos, qui diverso utrique consilio insignem earum molem congesserunt (5).

In inquirendo, quantum crescens humanitatis sensus valuerit ad justi notionem perpoliendam,

(1) Hom. Odyss. XIII. 142. Iliad. XV. 204, XXIII. 788. — Od. VI. 207, XIV. 58, XVII. 475. — Od. VII. 165, IX. 270. cet.

(2) Eurip. Hippol. vs. 1095. vocat *justum* *τοὺς τεκόντας ὅσια δρᾷν.* Demosth. adv. Aristog. p. 838. C. parentum amorem *φύσεως νομόν* appellat, *legem naturae*, quod tamen non eo sensu esse accipiendum, quo haec formula hodie accipi solet, infra occasio erit uberius demonstrandi.

(3) Aegyptii solis filiabus hanc curam mandabant. Herod. II. 35.

(4) Herod. I. 216. Anon. in fragm. Pyth. ed. Gale. p. 713.

(5) E. g. Sext. Emp. Pyrr. Hypot. III. 24. Euseb. Praep. Evang. VI. 8. alii.

in generalibus observationibus subsistere debuimus. Erat alioquin magni momenti ostendere, quam luculentos fructus civitatum conditio et familiarum nexus inde perceperint: quantopere v. c. sensim sensimque emendata servorum conditio, nisi crudelius intellecta civilis ratio omnem humanitatis lucem aspernaretur, et plura id generis. Sed longiora haec sunt et peculiarem desiderant tractationem, ab argumento nostro non alienam quidem, at, ne justum excedamus modum, omittendam tamen.

SECTIO QUINTA.

QUID DE IPSA JUSTITIAE NATURA ET INDOLE VETERES JUDICAVERINT?

§. 1.

Restat, ut videamus, quo loco antiquitus justitia fuerit habita. In notionis originem inquirentes, monuimus primum *statum* aliquem ideam *justi* in hominum animis excitavisse, in quo scil. vires aequales ita sibi oppositae essent, ut alterius malum non amplius conditio esse posset alterius boni; neque de justo, tanquam attributo morali, hoc tempore cogitari potuisse. Nimirum, sive quam nos defendimus, sive quaelibet alia justi notio habeatur prima, diutissime certe omnem qualemcunque virtutis notionem praecessit, non solum, quoniam tam sensilis incultorum hominum

natura, quam societatum commodum, perfecta potius quam inperfecta officia commendabant (1), sed multo magis, quoniam virtutis notio nimis composita est et a sensibus remota, quae mature hominum animis conciperetur. Est hoc loco, ne male intelligamur, a nomine res religiose distinguenda. Vulgo perhibetur et adstructa veteri *virtutis*, *ἀρετῆς*, seu quocunque nomine insignita fuerit, significatione probari videtur, antiquis temporibus omnem *virtutem* in sola *fortitudine* fuisse positam: sed accuratius dicendum est generalem virtutis notionem nondum viguisse, sed singularum tantum qualitatum, quas simul postea haec notio complexa est, fortitudinis, prudentiae, pietatis, reliq.; quum autem mens humana unâ ideâ eas colligere conaretur primum, vocem esse adhibitam, quâ ea virtutis species, quae maximo honore tunc temporis haberi debuit, nuncupari solebat. Nemo enim dubitabit, quin vel tunc, quum *ἀρετή*, virtus cet. solam fortitudinem designabant, alia etiam fuerint, quae homines praecipienda, collaudanda et remuneranda arbitrarentur, i. e. quae *virtutis* nomine inclusissent, si nomen generaliorem notionem expressisset. Nempe de sola virtutis notione collectiva nobis quaestio est, quae manifesto serius obtinuit.

§. 2.

Frustra igitur justitiae praecepta quaereres, antiquo doctrinâ quadam morali commendata. Ne-

(1) Henrici op. c. T. 1. p. 17.

que unquam fere apud antiquissimos auctores justiam laudatam reperies propter ingenium suum; sed propter utilitatem, quam mortalibus affert. Justitia est complexus praeceptorum, quae justam docent hominum inter se relationem servare, qua scil. omnes possunt simul commoda sua appetere: divinitus missum donum, quod qui colant, a Jove felices redduntur, qui negligant, infelices.

εἰ γάρ τις κ'ἐθέλῃ τὰ δίκαι' ἀγορεύειν
γιγνώσκων, τῷ μέν τ'ὄλβον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς.

ἀνδρὸς δ'εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων (1).

Qui vero injustus est

τοῦδέ τ'ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται (2).

Nisi haec revera esset justitiae indoles, quod divites ac felices reddat mortales, multo leviorem haberet commendationem. Doctrina ista, quod sit »utilitas justi prope mater et aequi", uti ait recentior poëta (3), quae inprimis Hesiodea scripta perlustrat (4), omnibus veteribus poëtis magna ex parte communis est (5). Orpheus et Solon reliquique Gnomici, qui vocantur, versibus suis illam celebraverunt. — Verum, quod generalem quandam prae se ferat utilitatem, non adeo aestimari solet, et in singulis hominibus doctrinam poëtarum quotidie labefactari quivis agnosce-

(1) Hesiod. Op. et D. vs. 256. sq., 261.
(2) Vs. 260.
(3) Horat. Serm. I. 3. 98.
(4) Cf. Xenoph. Mem. I. 2. 56.
(5) Cf. Plato de Rep. II. p. 363. Steph.

bat: injustitia omnibus divitiis cumulata, dum egestatem virtus et infortunium patebatur, ubivis observari coepit, unde jam proverbii loco homines *parvam rem esse justitiam* dictitarent (1), qua videlicet fortunam suam parum adjuvari videbant. Justitiae laudem ut vindicarent et hanc tollerent difficultatem, poëtae philosophi argumento usi sunt, quod naturâ suâ Ethicum quodammodo colorem refert. Quae injuste pravi homines sibi comparassent, non esse lucra existimanda docuerunt, at in perniciem ipsorum esse cessura

μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν (2).

Quamquam enim primum gaudia afferant, non esse stabilia, velut ea sunt, quae justis rationibus sunt acquisita:

χρήματα δ' ᾧ διόθεν καὶ σὺν δίκῃ ἀνδρὶ γένηται
καὶ καθαρῶς, αἰεὶ καὶ μόνιμον τελέθει.
εἰ δ' ἀδίκως παρὰ καιρὸν ἀνὴρ φιλοκερδέϊ θυμῷ
κτήσεται, εἴθ' ὅρκῳ παρ' τὸ δίκαιον ἑλὼν,
αὐτίκα μέν τι φέρειν κέρδος δοκεῖ, ἐς δὲ τελευτὴν
αὖθις ἐγίνετο κακόν· θεῶν δ' ὑπερέσχε νόος (3).

§. 3.

Insignior multo et aptior justitiae honos tribui coepit, simul atque auctum in dies philosophiae studium et dispersus undique humanitatis sensus

(1) Arist. Rhet. I. 9. p. 529.
(2) Hesiod. Op. et D. vs. 325. V. plura apud Erasmum Adag. v. *injust.* adag. *lucrum malum aequale dispendio.*
(3) Theogn. Sent. ed. Sylb. p. 15. Cff. Solonis versus cit. a Stobaeo Serm. LI. p. 185.

communem virtutis notionem effinxissent, ad quam referretur justitia, non diutius ob sola commoda, quae generi humano praestet et singulis hominibus impartiatur, sed propter naturae suae praestantiam colenda. Non solo autem Philosophorum judicio, de quo suo loco videbimus, sed populari etiam opinione justitia fere aestimabatur sola omnem virtutem complecti. Versus Theognidis

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή᾽στι

proverbii vim accepit (1). In comparanda etiam justitia cum reliquis *virtutibus*, illi semper palmam concesserunt, quae scil. rite intellecta, reliquas otiosas fere et inutiles redderet. Ita e. g. fortitudini longe antecellere monuit Agesilaus (2), quippe quae nulli rei inserviret, si omnes homines justi essent. Optime ex hisce explicari potest honos antiquo justis hominibus praestitus, quales, ut supra monuimus, primum habebantur ii, qui jus dicendo neutri parti faverent: hos divino saepe honore prosecuti sunt, et post mortem in ipso coelo judicum munere fungi crediderunt: Nasomones justissimorum hominum memoriam obtestati jurejurando pacta confirmabant (3). Quan-

---

(1) V. Aristot. Eth. Nicom. V. 1. Ad proverbium alludit Jamblichus Ep. ad Anatol. (Stob. Serm. LI. p. 187.) *Τὴν δικαιοσύνην, αὐτὸ τὸ τῶν ὅλων ἀρετῶν τέλος, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτῶν συμπασῶν, ἐν ᾗ δὴ πᾶσαι ἔνεισι συλλήβδην κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον.* Cf. Lactant. V. 14. 9.

(2) Plutarch. in Agesil. 608. E.

(3) Herod. IV. 172.

tum autem haec justitia valebat hominibus ad auctoritatem sibi comparandam, Dejocis historia docet (1).

§. 4.

Quod autem justitia prae reliquis virtutibus commendari solebat, aliunde etiam explicandum est. Reliquae plurimum officia continent, quibus homo sibi adstrictus est, dum justitia officia, quibus aliis tenetur, complectitur: *ὁ ἔχων αὐτὴν*, inquit Aristoteles (2), *καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν*. Ex alterius igitur justitia alter fructus percipit, ita ut cujusvis intersit ad strictam ejus observantiam alios admonuisse.

Haec, ante quam ad Philosophiae historiam me accingerem, habui de antiquissima justi notione praemonenda. Quae etsi probe norim, neque tam absoluta esse, ut pauca tantum desiderentur, neque exquisito ordine proposita, possunt tamen, opinor, quo scripta sunt, optime inservire consilio. Postquam vidimus, unde originem duxerit justi notio, hujus progressum aequo pede subsequi et tanquam *a priori* demonstrare conati su-

(1) Herod. I. 96.

(2) L. c. Cf. Plat. Protag. 317. B. *λυσιτελεῖ γάρ, οἶμαι, ἡμῖν ἡ ἀλλήλων δικαιοσύνη καὶ ἀρετή· διὰ ταῦτα πᾶς παντὶ προθύμως λέγει καὶ διδάσκει καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ νόμιμα.* Cujus loci sententia postulare videtur, ut pro *ἀλλήλων* legatur *ἄλλων*.

mus, quibus maxime causis immutari et a primaria sua indole deflectere debuerit. Parum attinebat, ex quanam historia desumeremus exempla, quibus magis explicare et illustrare sententiam, quam probare et persuadere oportebat. Interdum etiam necesse fuit res excitare notissimas: sed ubi de vero quaeratur, plurimum proficere eos arbitror, quorum judicium instigatur momentis et superstruitur factis omnium consensione probatissimis.

Causis, quibus originem aut potius sanctionem debuit, congruenter justitia primis temporibus considerata est tanquam conservatrix et tutrix societatis, et propter utilitatem suam et vero necessitatem summis continuo laudibus ornata. Sed quatenus cum virtute conjuncta sit justitia et praescribat officia, quae aliunde etiam, quam propria salutis ratione, commendentur, hac de re ne cogitari quidem potuit: philosophando opus erat, ut amplior virtutis notio conciperetur, atque haec ipsa haud parum expolita erat, antequam in ipsius virtutis praestantiâ causa sita esse existimaretur, cur ab hominibus ea coli mereatur.

Populares igitur notiones mittamus, ut ad singulos homines transeamus, qui, praestantiori ingenio praediti, communem opinionem ducem sequi aspernarentur, et cogitando ipsi, vel hanc corrigere conarentur vel, novis sibi gloriam comparare inventis.

PARS ALTERA.

DE JUSTI NOTIONE IN SCHOLIS VETERUM PHILOSOPHORUM.

SECTIO PRIMA.

DE PRIMIS PHILOSOPHIS, POETIS GNOMICIS, SEPTEM SAPIENTIBUS.

Quisque populus suos habuit philosophos, sive Divinâ auctoritate muniti civium religionem moderarentur, sive poëticis inventis hanc ornarent Ethicisve sententiis commendarent virtutem, sive bonarum legum imperio civitatem stabilirent, sive tandem in veritatem studiose inquirerent et juvenum institutione disciplinam suam publici juris facerent: nullus vero diversas has, diversis populi aetatibus accommodatas, philosophiae formas ita complexus est, nullus praeclaris ingeniis tam dives fuit, quam Graeci, qui si philosophiam aliunde traxerint, magistros cito obscuraverunt (1), si

(1) Vere Plato Epin. p. 987. D. ὅ, τι περ ἂν Ἕλληνες βαρβάρων παραλάβωμεν, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται.

sibi ipsi debeant cogitandi initia, brevi ingenii humani attigerunt fines. Causas recensere, quibus effectum est, ut prae reliquis antiquitatis populis adeo excelluerint Graeci, longum est: ad libertatem fere redeunt. Parum solent tyrannica imperia abundare philosophis: verum ubi ingenium liberum relinquitur ac sentiunt singuli homines se partes efficere, quibus conjunctis stat ipsa civitas atque agit, artes et scientiae florere solent. Huic libertati Graeci merito omnem suam gloriam acceptam referebant, hanc inde ab incunabulis edocti solam homini naturalem esse opinabantur. De omnibus Graeci philosophati sunt, quae ad verum, bonum et pulcrum referri possunt, neque justitiam reliquerunt intactam. Quid ergo ad hujus notionem emendandam philosophi, Graeci praesertim, contulerint, jam explicare conabimur.

Ab iis poëtis initium ducere possimus, qui antiquissimo tempore quasi philosophorum partes egisse censendi sunt. Imprimis Hesiodus supra vulgares opiniones ingenium efferre valuit. Poenam Divinam ab eo solo extimescendam esse pronuntiat, qui ἑκὼν injuste agat (1). Occurrunt in ipsius carmine morali multa hujusmodi, pro tempore, quo vixit, egregie scripta. Poëtae etiam Gnomici, Mimnermus, Phocylides, Theognis, Solon aliique praeclaris et vere philosophis senten-

(1) Hesiod. Op. et D. vs. 258.

tiis mores emendare studuerunt: sed doctrina eorum popularibus erroribus saepissime cedens (1), et praesertim oratio ab omni argumentatione aliena prohibent, quo minus in scriptis eorum diutius commoremur.

Neque est, cur de sapientibus istis plura dicamus, qui septem imprimis numero ab omni antiquitate celebrantur. Incerti enim fontes, ex quibus placita eorum nobis innotescunt, et confusae traditiones, quae super iis ad nos pervenerunt, valde obscurant eorum doctrinam. Praeterea disjunctae sententiae et ab omni disciplinae forma remotae effecerunt, ut jam olim philosophorum choro excluderentur, et sapientum nomen dicerentur meruisse propter civilem prudentiam (2). Quod ceteroquin prae reliquis disciplinis moralibus jurisprudentiam coluerint, ex eo probabile fit, quod praeter Milesium Thaletem,

(1) Supra jam sententias eorum attigimus de vindicta Divina liberos maleficorum prosequente, de justitia propter divitias, quas procurat, praesertim aestimanda cet. Ceterum de doctrina eorum cff. Tiedemann, Erste Philos. Griechenl. Leipz. 1780. V. Limburg Brouwer, Disput. praemio legati Stolp. ornata, De provid. Divinae notione a Philophis adhibita ad commemoranda principia moralia et virtutem commendandam L. B. 1824. p. 16. sq. Opuscula veterum Graecorum sententiosa et moralia post Hertelium A°. 1583, Glandorfium 1776, Brunckium 1784, Rhodium 1800, nuperrime edidit Orellius Lips. 1821.

(2) Diog. Laërt. I. 40. *ὁ δὲ Δικαίαρχος οὔτε σοφοὺς, οὔτε φιλοσόφους φησὶν αὐτοὺς γεγονέναι, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικούς.* Plutarch. in Sol. p. 80. B. Cicero de Amic. C. 2.

qui tamen in patria sua plurimum valuit (1), omnes civitatibus suis praefuerunt (2). Soloni leges Atticae justitiae laudem conciliarunt, nullis temporibus delendam. Biantis Prienensis in jure dicendo aequitas in proverbium abiit. Reliquorum etiam apophthegmata et leges passim apud veteres citantur, in quibus lex memorabilis est Pittaci (3), duplicem poenam maleficis infligens, si ebrii peccassent, optimo fortasse consilio lata (4) at a recta justitiae notione longissime recedens, eo magis quod nisi cum crimine conjuncta esset, ebrietas non punita fuisse videatur.

SECTIO SECUNDA.

DE SCHOLA JONICA.

§. 1.

Schola Jonica, cujus auctor exstitit Thales, prima uberiorem disciplinae formam adepta est, a qua tamen morum doctrina secludebatur, ut-

(1) Herod. I. 170. Diog. Laërt. I. 25.
(2) Cicero de Orat. III. 34. Cf. Meiners. Gesch. der Wissensch. T. I. p. 43. sqq.
(3) Arist. Polit. II. 12. Eth. ad Nicom. III. 7. Diog. Laërt. 1. 76.
(4) Arist. Polit. l. c. διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψε, ὅτι δεῖ μεθύουσιν ἔχειν μᾶλλον· ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον. Diogenes d. l. ἵνα μὴ μεθίωσι, πολλοῦ κατὰ τὴν νῆσον οἴνου γινομένου.

pote ad philosophiam non pertinens (1). Nec mirum profecto: accuratius enim indagare ac probare ea, quae indubitatae veritatis habebantur ubivis, neminis cogitationem subire poterat. Ortus mundi, rerum principia, stellarum cursus, objecta meditatione digniora erant: de quibus veritatem coujecturis assequi aut probabiliter certe disputare magnum aestimabatur: praecepta vero morum commonefaciebant potius quam docebant: in his antiquior Poetices scopus, in illis recentius sapientiae (σοφίας) munus conspiciebatur. Quoties igitur justitiae mentionem facerent, brevibus sententiis eam quam argumentando magis commendabant (2). Unius tamen ejusque postremi ex Jonicorum Schola philosophi dogma refertur, quod sine ulla qualicunque philosophiae moralis notitia temere conceptum esse minus recte statuas: Archelai nempe, qui Sophistas praeivisse perhibetur statuendo τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ (3). Diogenis Laërtii tamen hanc opinionem referentis vehementer in dubium revocata est auctoritas. Neque immerito, ut videtur. Quamvis enim Archelaus moralem disciplinam non neglexisse videatur (4), nullibi tamen novum ip-

(1) Sext. Empir. adv. Mathem. VII. 1, 5.
(2) Cf. Clemens Alexand. Strom. V. p. 704.
(3) Diog. Laërt. II. 16.
(4) Sext. Empir. adv. Math. VII. 14. Ἀρχέλαος δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὸ φυσικὸν καὶ ἠθικὸν (μετήσχετο). Diog. Laërt. l. c. ἔοικε δὲ καὶ οὗτος ἅψασθαι τῆς ἠθικῆς· καὶ γὰρ

sius systema memoratur; hujus autem opinionis, quae gravitate nulli cedit, nuda et incondita et quasi projecta mentio reperitur apud Laërtium, fide eo indignior, quod secundum eundem Biographum ea in Ethicis Archelaus probaverit, quae Socrates ejus discipulus postea propagasse potius quam invenisse existimandus est (1). Accedit gravissimi momenti illud, quod Aporetici, quamvis quam plurimos philosophos in suam cohortem redactos vellent, Archelai talia opinantis non meminerunt, et imprimis accuratissimus auctor Sextus Empiricus, qui plus semel hujus sententiae fautores enumerat, illum, sibi tamen haud incognitum, omittit. Ceterum dogma refertur eadem dubitandi forma enunciatum, quae multis aliis philosophis adscribitur, ita ut ex nominis errore omnis traditio nata esse videatur. Sin autem fides Laërtio habenda sit, alio sensu, quam quo intelligi solent, verba esse accipienda arbitror, ita ut non omnem justitiam sustulisse Archelaus existimandus sit, verum statuisse, quae vulgo justa aestimantur, solâ lege praecipi, naturae saepe contrariâ, vel, ut antiquitus dici solebat, *τὰ δίκαια ἄλλα μὲν εἶναι νόμῳ, ἄλλα δὲ φύσει.* Fortasse objiciat aliquis in hac opinione deprehendi

---

γὰρ περὶ νόμων πεφιλοσόφηκε, καὶ καλῶν καὶ δικαίων παρ' οὗ λαβὼν Σωκράτης τῷ αὐξῆσαι εἰς τὸ εὑρεῖν ὑπελήφθη.

(1) L. c. (ubi dicitur etiam physicam philosophiam Athenas introduxisse: v. tamen Menagium). Cicero Tusc. Q. V. 4.

tam parum novi et insueti, ut istam tanquam Archelai propriam nemo commemorasset. Sed cogitandum est Jonicos Philosophos antea ne attigisse quidem moralem disciplinam, et quum hanc primum amplecteretur ingenium humanum, non exspectari posse systema, quod conscientiam omnium adoriatur, verum hoc jam esse aliquid, quod populares opiniones acriter oppugnentur. Eâdem ratione Sophistae, antequam nullam prorsus exstare justitiam perhiberent, eam legibus, quibus utebantur, abjudicare conati sunt. Graeci enim, velut omnes veteres populi, quorum Religione leges constitutae aut confirmatae erant, in juris absoluti locum jus constitutum supponere vel utrumque certe confundere adeo consueverant, ut, qui leges eorum aggrederetur, naturales justi notiones adoriri videretur. Archelai opinio, qualem nos intelligimus, non solum nova aut certe haud communis erat, verum hoc tempore apud solos fortasse Athenienses proponi poterat, apud quos Religionis vilescebat auctoritas, novae leges antiquis saepe substituebantur et florescentibus liberis literarum studiis inveteratae traditiones quotidie vim suam amittebant. Lacaedemone quaerens aliquid in legibus cum summo jure non consentaneum, totius populi animadversionem in se contraxisset. Ceterum diu etiam post leges visae sunt populares referre justi notiones, quapropter Sceptici variorum populorum jura sibi opponere solebant, ut naturâ probarent nihil esse

justum. Archelai igitur opinio, si, fide Laërtio non denegata, probabiliter hac ratione intelligi possit, quasi transitum quemdam facit a populari naturalis et constituti juris confusione ad Sophistarum plenissimam juris connati repudiationem.

SECTIO TERTIA.

DE PYTHAGORA ET PYTHAGOREIS.

Circiter 600 annis ante a. n. nova disciplina prodiit, quae si temporis ordine scholae Jonicae postponatur, propter gravitatem suam et vinculum, quo cum omnium posteriorum temporum philosophia conjuncta est, primo loco haberi meretur. Pythagoras Samius, quamvis sectae Jonicae auctores audivisse videatur, diversam tamen viam ingressus est, tum in naturalibus, quorum studium sui temporis more praesertim coluit, tum imprimis in moralibus, quae non diutius sivit popularibus admonitionibus contineri, sed tanquam genuinam philosophiae partem de industria tractavit. Verum hujus doctrinae, quam rite cognoscere plurimum intersit, dolendum est tam imperfectam et confusam notitiam ad nos pervenisse, quam utrum infinita interpretum et commentatorum cohors meliorem reddiderit an deteriorem, satis ambiguum est. Plato certe et Aristo-

teles et qui eodem tempore philosophi floruerunt, quamvis religiosâ fere veneratione Pythagoram nuncupent, certam tamen fixamque disciplinae Pythagoreae cognitionem desiderasse videntur; et Aristoteles quidem, quae Pythagoreae opiniones feruntur, non ad auctorem scholae referre audet, sed universae scholae tribuit: ecce tamen diu post vita hominis accurate descripta et opiniones certo ordine redactae, ita ut nihil desiderari crederes. Hoc fundamento nisi, neque magis operum, quae discipulis Pythagorae tribuuntur, fidem suspicantes, systemata morale et naturale Pythagorica contexuerunt, quae si philosophus ipse inspicere potuisset, ut Phaedon olim in Platonis Dialogo (1), aegre, arbitror, sua agnovisset. Primus in his tenebris lucem accendit Meinersius (2), qui quum arctioribus limitibus philosophiae Pythagoreae notitiam circumscripserit, hanc utique reddidit certiorem, ingenio eximie Critico fontes examinavit, ex quibus solis haec notitia hauriri possit et copiose demonstravit, exiguam partem eorum, quibus quiete ac placide compilatores et interpretes uti solebant, merito usu venire posse. Quod ad moralem disciplinam attinet, in quâ tota quaestio nostra versatur, praeter ea, quae commemoravit Aristoteles, ex fide dignis auctoribus ea sola esse

---

(1) Athen. Deipnos. L. XI. 505.

(2) Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom. T. I. p. 178—602.

desumpta judicat (1), quae ex Aristoxeno vel Dicaearcho Jamblichus (2), Porphyrius (3), Diogenes Laërtius (4), Diodorus Siculus (5) et Stobaeus (6) haussisse videntur, quorum tamen vel nomina suadent, ne his quidem sine magna cautione adhibitâ uti. Quae iidem scriptores plura habeant, praesertim Stobaei fragmenta, quae collegit Th. Gale (7), Aureum deinde Carmen (8), Pythagorae adscriptum et hujusmodi reliqua excluduntur. Meinersii vestigiis incedentes recenti tempore multi viri docti ad rectam disciplinae Pythagoreae intelligentiam non parum contulere et quamvis celeberrimi viri rationem criticam non indistincte probarent (9), plurimum tamen in exponenda hac materia ipsius judicium secuti sunt. Horum exemplo insistemus et ex iis solis, quae a laudato viro genuina habita sunt, ratiocinabimur, quamvis reticere non possimus, hoc nobis mirum videri, si vel rite fragmenta ista Aristoxeno et Dicaearcho

---

(1) L. c. p. 565. sqq.
(2) Vita Pyth. C. 8—11. §. 37—58, C. 22. §. 101. sq. C. 30. §. 167. sqq.
(3) Vita Pyth. §. 39. sqq.
(4) L. VIII. §. 22 et 23.
(5) Exc. 554. sqq.
(6) Serm. LI. et CXLI. Wech. (X. et LI.)
(7) Pythagoreorum fragm. partim apud Stobaeum, par[illegible] alibi reperta. Cantabr. 1670; repetita in Opusc. My[illegible] Phys. et Eth. Amst. 1688.
(8) Cum Poëtis Gnomicis vulgo editum; praeterea cum [illegible] maeo Locr., Ocello Luc. et Porphyr. de Vit. Pyt[illegible]. Rittershusio Altd. 1610. et separatim e Schierio Lips. 1[illegible]
(9) Cf. Staüdlin, Geschichte der Moralphilosophie, p. [illegible]

auctoribus tribuantur, quomodo hi Aristotelis discipuli fontibus uti potuerint, qui neque ipsorum magistro neque ipsi Platoni patuerunt. Multae certe in iis reperiuntur sententiae, quarum, si sibi cognitae fuissent, auctoritate, Plato more suo opiniones suas praemunivisset, vel quas gravitatis causa commemorare hoc illove loco neque ipse neque Stagirita facile omisissent. Sed haec hactenus.

Philosophiae Pythagoreae studium vehementer impedivit imprudens disciplinae Exotericae et Esotericae confusio. Quamvis enim antiquitus jam viderint, quae publice Pythagoras praeciperet ab iis, quae discipulos privatim docuisset, esse distinguenda, solent nihilominus ipsius placita sine ulla distinctione citari. Quae ad nostrum argumentum pertinent, rite seponere et suo quaeque generi restituere conabimur, ab interna disciplina initium ducturi.

Hac re Pythagoras novam philosophandi viam aperuisse censendus est, quod primus cum sapientiae studio Ethicam conjunxerit: *πρῶτος μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν*: verba sunt Aristotelis (1), quae manifesto ad Esotericam disciplinam pertinent, et, ni fallor, singulari quadam significatione accipienda sunt. Neque enim primum praeceptorem morum designare possunt: praeiverant alii; neque doctrinae moralis aucto-

---

(1) Magn. Moral. I. 1.

rem, quippe qui ab omni antiquitate tum ab ipso Aristotele Socrates laudari solet. Fortasse Pythagoras primus περὶ ἀρετῆς dixit, voce eâ generali significatione adhibita, quam postea in philosophia occupavit. Nimirum multis vocabulis egregiam quandam vim conciliasse videtur, quam religiose Graecorum philosophia retinuit. De ipso φιλόσοφος res satis nota est (1); *universum mundum* primus nominasse dicitur κοσμὸν (2), quo antea tantum *ordo* et *ornatus* significabatur. Universa tandem ipsius philosophiae ratio ostendit, multa hujus generis fore reperta, nisi temporum injuria genuina ejus monumenta delevisset. Aristotelis verbis ita intellectis Pythagoras primus dixit de virtute tanquam eâ re, quâ, quae Ethice bona sunt, continentur omnia; οὐκ ὀρθῶς δέ, subjicit auctor: ἀρετῶν enim, quae communi τῆς ἀρετῆς notione comprehenduntur, οὐκ οἰκείαν τὴν θεωρίαν ἐποιήσατο, si quidem ad numeros eas retulerit. Haec plana fiunt, si reputamus summopere studuisse Pythagoram, ut summum principium statueret (3), a quo non sola Physica disciplina,

(1) Diog. Laërt. VIII. 8. Cicero Tusc. Q. V. 3.

(2) Plutarch. de Plac. Philos. II. 1. Stob. Ecl. Phys. p. 450. Heeren. Anon. apud Phot. Bibl. Cod. 259. Cf. Stanlejus ad Aesch. Agam. 6. Menag. ad Diog. L. VIII. 48. Creuzer Studiën T. I. p. 102. Sophistae hac denominatione plurimum usi videntur: v. Xenoph. Memor. I. 1. 11.

(3) Cf. Jamblich. C. 30. §. 182. ἀρχὴν δὲ ἀπεφαίνοντο (lege ἀπεφαίνετο) ἐν παντὶ ἕν τι τῶν τιμιωτάτων εἶναι, ὁμοίως

ut apud reliquos Philosophos, sed universa philosophia duceretur; imo principiis, quae alii philosophi probaverant, aquae, igni cet. numeros praeposuisse dicitur, quoniam in iis plura *ὁμοιώματα* cum omnis generis rebus inveniret et *justitiam*, animam, sermonem, alia ad eos posset referre (1). Interna igitur Pythagorae disciplina omnem philosophiam amplectebatur, et conjungebat uno principio, qua re laudato Aristotelis loco Theoriam fecisse dicitur virtutibus non convenientem.

Ex interna disciplina morali pauca ad nos pervenerunt. Servata est justitiae definitio, *ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος* (2). Formulae significatio Grammatica satis perspicua est (3): verum qualem justitiae notionem contineat, difficile dictu est. Multi viri docti (4) conjungunt illam cum talione, de qua mox videbimus; sed quo jure equidem non in-

---

ως ἐν ἐπιστήμῃ τε καὶ ἐμπειρίᾳ, καὶ ἐν γενέσι. Quibusdam de proponendi principii difficultate interjectis, seq. §. sic pergit » *μεγάλην δ'εἶναι διαφορὰν, καὶ σχεδὸν περὶ ὅλου τε τοῦ παντὸς τὸν κίνδυνον γίνεσθαι, μὴ ληφθείσης ὀρθῶς τῆς ἀρχῆς· οὐδὲν γὰρ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἔτι τῶν μετὰ ταῦτα ὑγιὲς γίνεσθαι, ἀγνοηθείσης τῆς ἀληθινῆς ἀρχῆς.*

(1) Aristot. Metaph. I. 5. Philolaus apud Stob. Ecl. Phys. L. I. T. 1. p. 10. Heeren. Cf. Wyttenb. Quinque Lect. ed. Mahne, p. 34.

(2) Arist. Magn. Mor. l. c.

(3) Cff. Theon. Smyrn. de Arithm. p. 38, 56. Bullialdi, Jambl. in Nicom. Arithm. p. 110. B., Anon. apud Stobaeum Ecl. T. 1. p. 24. Heeren.

(4) Tennemann Gesch. der Philos. T. I. p. 141. Henrici Ideën T. 1. p. 33.

telligo. Quod utramque Pythagorae sententiam improbaverit Aristoteles, nihil efficit. Definitionem enim justitiae improbat, quoniam ex principio doctrinae moralis ducta est *οὐκ οἰκείῳ*, talionem vero propter longe alias causas. Probabilior videtur sententia Staüdlini (1), existimantis *numerum quadratum* generale nomen fuisse, quo diversos virtutis ramos appellaret. Sed praestat ignorantiam fateri, quam vanis conjecturis quaestionem tentare, quae propter exiguam et confusam Arithmetices Pythagoreae notitiam nunquam confici poterit.

Hoc tamen constat ante Socratem Pythagoreos de justitia fuisse philosophatos (2). Talionem acriter propugnarunt, qua in re ab Aristotele duplicis erroris arguuntur: *ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον, τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ. τὸ δὲ ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει, οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθητικόν* (3). Ut enim ad *διορθητικόν* tendat talionis notio, nimis circumscripta est, quippe ad solam, quae distributiva vocatur, justitiam pertinens (4). *Διανεμητικῷ* autem *δικαίῳ* non convenit Pythagoreorum talio, quoniam nimis

---

(1) Op. c. p. 46.
(2) Aristot. Metaph. XI. 4. p. 957. Duvall. Seneca Epist. XC.
(3) Ethic. Nicom. V. 8. Eadem leguntur Eudem. L. IV. C. 3, qui liber cum duobus seqq. ex Nicomacheis descriptus est. V. J. G. Buhle de distr. libb. Arist. in Exoter. et Acroamat. 1786. p. 81.
(4) Pythagoras tamen justitiae partes distinxisse dicitur Jambl. C. 30. §. 172.

rigide idem non *κατ' ἀναλογίαν* sed *κατ' ἰσότητα* referri velint: *ἔστι δὲ δίκαιον καὶ τὸ ἀντιπεπονθός· οὐ μέν τοι ὥς γε οἱ Πυθαγόρειοι ἔλεγον. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ᾤοντο, δίκαιον εἶναι, ἃ ἐποίησέ τις, ταῦτα ἀντιπαθεῖν.* sqq. (1). Haec sola opinio de jure certo Pythagoreis tribui potest ad internam disciplinam magistri pertinens. Ceterum scripta Platonica sententiis de jure et justitia referta sunt, a doctrina Pythagorea proficiscentibus, quas probabiliter inde eruere operae pretium esset. Verum sunt ita cum Platonicis conjunctae et ad eas adaptatae, ut suo loco ad Platonem auctorem referre nulli dubitemus.

Aliam penitus indolem spirant, quae philosophus Samius publice civibus praecipiebat. Evanescunt principia altius repetita, definitiones scholasticae, argumentationes excultiori tantum ingenio aptae: clara sunt et perspicua virtutis praecepta, non systematica disciplinae forma aut accurata virtutum distinctione, at religionis auctoritate et benevolentia Deorum commendata. Quas ad Crotoniatas habuit orationes, quaeque non ad verba quidem, sed ad sententiam, vere a Jamblicho (2) expressae censentur, probant iis ad justitiam colendam incitamentis eum usum fuisse, quae, abstractâ omni reliquâ ratiocinatione, optime cum auditorum ingenio convenirent. Juvenes ad senio-

---

(1) Magn. Moral. I. 34. Cf. Ethic. l. c.
(2) Cap. 8—11.

rum cultum exhortabatur eo, quod ipsâ naturâ videatur μᾶλλον τιμώμενον τὸ προηγούμενον, ἢ τὸ τῷ χρόνῳ ἑπόμενον· οἷον τὴν ἀνατολὴν τῆς δύσεως· τὴν ἕω τῆς ἑσπέρας· τὴν ἀρχὴν τῆς τελευτῆς· τὴν γένεσιν τῆς φθορᾶς. παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς αὐτόχθονας τῶν ἐπήλυδων. ὁμοίως δὲ αὐτῶν τῶν ἐν ταῖς ἀποικίαις τοὺς ἡγεμόνας, καὶ τοὺς οἰκιστὰς τῶν πόλεων· καὶ καθόλου, τοὺς μὲν θεοὺς τῶν δαιμόνων· ἐκείνους δὲ τῶν ἡμιθέων· τοὺς ἥρωας δὲ τῶν ἀνθρώπων· ἐκ τούτων δὲ τοὺς αἰτίους τῆς γενέσεως τοῖς νεωτέροις (1). Pueris idem praecipiebat: οὕτω γὰρ εἰκότως ὕστερον ἀξιώσειν, μηδὲ αὐτοὺς τοὺς νεωτέρους ἀδικεῖν (2). Mille viros ad aequam civitatis gubernationem incitabat monendo propterea in fabulis τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχειν παρὰ τῷ Διὶ τὴν Θέμιν, καὶ παρὰ τῷ Πλούτωνι τὴν Δίκην, καὶ κατὰ τὰς πόλεις τὸν νόμον· ἵν' ὁ μὴ δικαίως, ἐφ' ἃ τέτακται, ποιῶν, ἅμα φαίνηται πάντα τὸν κόσμον ἀδικῶν (3). Mulieres denique ad matrimonii fidem impellebat eo, quod ἀπὸ μὲν τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς ὅσιόν ἐστιν αὐθημερὸν προσιέναι τοῖς ἱεροῖς· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ προσήκοντος, οὐδέποτε (4).

Quod justitiae principium aequalitatem (τὸ ἴσον) censuerit, ex talionis notione jam patet: illi ad-

(1) C. 8. §. 37. Diog. Laërt. VIII. 23.
(2) C. 10. §. 53.
(3) C. 9. §. 46. Cf. Theages Pyth. in fragm. quae coll. T. Gale, p. 689. sq.
(4) C. 11. §. 55. Theanoni vulgo haec sententia adscribitur v. Kuster. ad Cap. 27. §. 132. et Menag. ad Laërt. VIII. 43.

jungendam esse communionem (τὸ κοινόν); ex sodalitii ratione et expressa Jamblichi (1) assertione, quae, judice Meinersio, verosimiliter ex Aristoxeno hausta est, conficitur. Eodem Jamblichi de vita Pythag. Capite trigesimo de industria memorantur praecepta justitiae, quae maximam partem incertae fidei videntur, veluti de animalibus non interficiendis, pactis accuraté servandis, justitiae partitione; unde orta foret discipulorum in legibus ferendis gloria, alia; at contra certissimum est, quod idem habet, Pythagoram efficacissimum ad stabiliendam justitiam Deorum imperium censuisse (2): ad hos omnia redeunt; puniunt improbos, pios remunerant, non in hac vita solum, verum etiam apud inferos (3). Proxima haec virtutis cum religione conjunctio totam philosophiam Pythagoricam eximie perlustrat.

Verbo attingenda est abstinentia a carnium esu, quam propterea Pythagoras praescripsisse dicitur, quod cognationem quandam juris homines inter et animalia agnosceret (4). Maximam convenien-

(1) C. 30. §. 167.
(2) §. 174.
(3) §. 78. sq. Cf. C. 8. §. 42.
(4) Ibid. C. 24. §. 107. »μήτε καταβλάπτειν μήδ' ὁτιοῦν αὐτῶν (ζώων), διασώζειν δὲ καὶ τὴν πρὸς αὐτὰ δικαιοσύνην ἐπιμελέστατα". §. 108. »ἤδη δὲ καὶ τῶν πολιτικῶν τοῖς νομοθέταις προσέταξεν ἀπέχεσθαι τῶν ἐμψύχων. ἅτε γὰρ βουλομένους ἄκρως δικαιοπραγεῖν, ἔδει δήπου μηδὲν ἀδικεῖν τῶν συγγενῶν ζώων. ἐπεὶ πῶς ἂν ἔπεισαν δίκαια πράττειν τοὺς ἄλλους, αὐτοὶ ἁλισκόμενοι

ἐν

tiam hujus doctrinae cum disciplina Zoroastri (1), ex qua animalibus et plantis, quae ad Ormuzdi regnum pertinerent, non minus ac sibi ipsi homines tenebantur, quisque animadvertet. Doctrina de jure quodam naturali, quo mutua hominum et animalium officia praecipiantur, posteriori tempore nonnullos adepta est propugnatores. Quaenam autem vetiti Pythagorei vera fuerit mens, certo definiri non potest: modo enim dictae cognationi tribuitur, modo physicis causis, ad sanitatem sive corporis sive animi pertinentibus, ob quas a pluribus cibis, fabis e. g. abstinere jussit (2), quippe ab alimentis exorsus ad virtutem ducere homines (3); modo dogmati de animarum migratione, cum *sceleris hominibus ac parricidii metus* sit, qui *possint in parentis animam inscii incurrere et ferro morsuve violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur* (4). Deinde excipitur modo victimarum caro (5), modo hos-

---

ἐν πλεονεξίᾳ συγγενικῇ τῇ τῶν ζώων μετοχῇ, ἅπερ διὰ τὴν τῆς ζωῆς καὶ τῶν στοιχειῶν τῶν αὐτῶν κοινωνίαν, καὶ τῆς ἀπὸ τούτων συνισταμένης συγκράσεως, ὡςανεὶ ἀδελφότητι πρὸς ἡμᾶς συνέζευκται''. Cap. 30. §. 168. » *καὶ πρὸς τὰ ὁμογενῆ ζῶα αὐτοὺς (ἀνθρώπους) συνέστησε, παραγγέλλων οἰκεῖα νομίζειν αὐτοὺς ταῦτα καὶ φίλα κ. τ. λ.* quibuscum cf. §. 186. Cf. Plutarch. de esu carn. Or. II. p. 997. E.

(1) V. imprimis Zend-avesta vert. Anquetil-Duperron. T. III. p. 42.

(2) Jambl. C. 24. §. 106. Cicero de Divin. I. 30. II. 58.

(3) Jambl. l. c. §. 109. *διὰ τῆς τροφᾶς ἀρχόμενος εἰς ἀρετὴν ὁδηγεῖν τοὺς ἀνθρώπους.*

(4) Senec. Epist. CVIII.

(5) Porphyr. de Abstin. L. 1. §. 26 et Cl. de Rhoer ad h. l.

tias immolare plane prohibetur Non mirum profecto rem adeo impeditam esse, in qua ipsi veteres tam frequenter sibi obloquantur (1).

Haec de Pythagora dicta sunto. Quid singuli ipsius discipuli in Ethica profecerint, incertum est, verum constat multis Magnae Graeciae civitatibus egregias eos dedisse leges, quo nomine imprimis appellandi sunt Zaleucus et Charondas, qui Locrensibus Epizephyriis et Catanensibus jura posuerunt. De auctoritate eorum, quae nobis servaverunt Diodorus Siculus (2) et Stobaeus (3), inter viros doctos lis est; nihil utique in iis reperitur, quominus legislatorum certe sententiam vere expressam statuamus: prooëmium persuadet potius quam imperat, ac praecipue intimo religionis sensu eminet, Pythagorae discipulis optime convenienti; ipsae leges, maximam partem poenales, quales temporum memoria plurimum servari solent, honoris sensus excitandi et legum auctoritatis conservandae studium eximie prae se

(1) Jambl. dd. ll. — Varias traditiones, ut videtur, consociandi gratia, narrat, ipsum Pythagoram nunquam victimas mactasse, cruentas aras ne adorasse quidem (cf. C. 5. §. 25. C. 7. §. 35.), idem praecepisse discipulis, quibus tamen ex victimis gustare concedebatur (cff. ll. cit. et C. 21. §. 98), reliquos denique homines carnem edere sivisse, modo cor et cerebrum intacta relinquerent (C. 30. §. 109). Cf. Brucker. Hist. Philos. T. I. p. 1036. Edit. II.

(2) L. XII. 10. sqq.

(3) Serm. CXLV. Wech. (XLII.)

ferunt. Talionis etiam specimen in Zaleuci legibus deprehenditur (1).

Pythagoreorum scripta, quae nostro tempore suspectae fidei habentur, plurimum ad Physicum argumentum pertinent. In Ethicis, quae Stobaeo debentur, fragmentum est ex Poli libro de Justitia, in quo auctor sibi videri dicit, *τὰν δικαιοσύναν ματέρα τε καὶ τιθηνὰν τᾶν ἄλλων ἀρετᾶν προςειπὲν, ἄτερ γε ταύτας οὔτε σώφρονα οὔτε ἀνδρῆον, οὔτε φρόνιμον οἷόν τε ἔμεν* (2), et ex Theagis libro de Virtutibus, qui si meliorem animi partem deterior sequatur, virtutem oriri ait; *καὶ ὅκα μὲν τὸ ἐπιθυματικὸν ἕπηται μέρος τᾶς ψυχᾶς τῷ λογιστικῷ, γίνεται σωφροσύνα, ὅκα δὲ τὸ θυμοειδὲς, ἀνδρειότας, ὅκα δὲ τὰ μέρεα πάντα, δικαιότας. αὕτα γάρ ἐντι ἁ διείργουσα τάς τε κακίας πάσας τᾶς ψυχᾶς καὶ τὰς ἀρετὰς ἀπ᾽ ἀλλάλων. καὶ ἔντι ἁ δικαιότας συνταγμά τι τᾶς ἁρμογᾶς τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελήα καὶ πανυπέρτατα, πάντα γὰρ ἐν ταύτᾳ, τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ἀγαθὰ τᾶς ψυχᾶς οὐκ ἄτερθε ταύτας* caet. (3). Sed inopportunum foret in recentiorum istis commentis diutius morari.

(1) V. porro Cl. Heyne, Prolus. XV. de Graec. civit. in Magna Gr. et Sicilia Instit. et Legg. in Opusc. Acad. Vol. II.

(2) Stob. Serm. LI. (IX). — Fragm. ed. Gale p. 702. sq. Cf. supra p. 62. et Gataker. ad M. Anton. de Reb. suis XI. 10.

(3) Stob. Serm. I. p. 9. Wech. — Fragm. ed. T. Gale p. 689. Platonica haec sapiunt, ut infra patebit.

SECTIO QUARTA.

DE ELEATICIS, HERACLITO, DEMOCRITO.

Reliqui Philosophi, qui ante Socratem floruerunt, parum ad argumentum nostrum conferunt. Imprimis a tractatione eorum, quae ad mores pertinent, aliena fuit schola Eleatica, sectatorum acumine praeclara, quorum principes Xenophanes et Parmenides aut naturalem solam philosophiae partem constituerunt, aut insuper tractarunt Dialecticam, eâ, quae in moribus versatur, penitus relictâ (1). In Parmenidis poëmate *περὶ φύσεως*, quod non facile intellectu fuisse ex fragmentis conficias nobis servatis, *Δικῆς πολυποινου* inseritur mentio, alio tamen sensu, quam qui ad quaestionem nostram pertineat (2). Ceterum nuspiam apud veteres vel una quidem Parmenidis sententia memoratur, qua explicari possit, cur tam magnifice de eo senserit Plutarchus, qui, si, ipsis legibus sublatis, Parmenidis et quorundam aliorum dogmata superëssent, justitiam pie cultam fore pronuntiat (3). Revera, nisi refragarentur Codices

(1) Sext. Empir. adv. Mathem. VII. 6, 7, 14. ibiq. Fabricius.

(2) Ibid. 111, 113.

(3) Plutarch. (?) adv. Colotem 1124. E. »ἄν γὰρ ἀνελών τις τοὺς νόμους, τὰ Παρμενίδου καὶ Σωκράτους καὶ Ἡρακλείτου καὶ Πλάτωνος ἀπολίπῃ δόγματα, πολλοῦ δεήσομεν ἀλλήλους κατεσθίειν καὶ θηρίων βίον ζῆν· φοβησόμεθα γὰρ τὰ αἰσχρὰ καὶ τιμήσομεν ἐπὶ τῷ καλῷ δι-

scripti, Pythagorae nomen substituendum arbitraremur.

Ejusdem ab auctore adversus Colotem laudis communione tenetur Heraclitus, et potiori quidem jure, ut videtur: quippe qui, si fides Demodoto habenda sit, Ethica non solum non neglexerit, sed, quae de Physicis disseruit, quasi *ἐν παραδείγματος εἴδει* praemiserit, ut ad mores et Rempublicam paratius accederet (1): unde explicatur simul hoc, quod disciplinam moralem cum principiis naturalibus conjunxisse videtur. Gravissima Heracliti sententia memoratur apud Stobaeum, »omnes leges humanas vim suam accipere a Divina, quae omnibus sufficit et omnia superat", quae, ut recte intelligatur, Divinae Legis notio ex Philosophi mente bene accipienda est. Omnia statuit dissimilitudine et dissensu fieri ac contineri: propterea enim, quod res dissimiles sunt, relationes inter eas existere possunt, quibus nimirum invicem in harmoniam redigi queunt (2). Lex Divina complectitur relationes inter numen (seu animam mundi seu ignem vocas), et res creatas, et spectat adeo rationem, qua illae gubernantur. Ipsa etiam dissimilitudini debetur: nisi

---

δικαιοσύνην . . . . ποιοῦντες ἑκουσίως διὰ τὸν λόγον, ἥ φησι Ξενοκράτης, ἃ νῦν ἄκοντες διὰ τὸν νόμον.

(1) Diog. Laërt. IX. 12, 15. Cf. Fabric. ad Sext. Empir. VII. 7.

(2) Aristot. Nicom. VIII. 2. Diog. Laërt. IX. 7, 8, 9. Plutarch. de Iside et Osir. p. 369. Decret. Philos. 1. 3.

enim dissentiret numen ab hominibus, nulla relatio necessaria inter eos constituenda erat. Homerum inculpabat philosophus, qui hunc dissensum sublatum iri speraverat: non secus fecisse poëta ipsi videbatur, ac si rerum omnium causam fuisset abominatus (1). Hanc γνώμην cognoscere, quae ἐγκυβερνήσει πάντα διὰ πάντων unicum esse ajebat, quod sapientem deceat (2); humanas leges, quae relationes inter homines constituunt, esse efformandas ad Divinae legis exemplar, et ex analogia eâcum esse dijudicandas. Contrahamus Heracliti sententiam: leges sunt mutuae relationes (3), quibus tenentur naturae discordes: quatenus ho-

(1) Plutarch. de Is. et Osir. 370. D.

(2) Diog. Laërt. l. c. §. 1.

(3) Francogallorum vocabulum *rapport* speciosam habet significationem, quae eximie exprimit id, quod minus accurate *relationem* appellare cogimur. Apertum hoc erit, et simul ad rectam senteutiae Heracliteae intelligentiam accommodatum, si verba hic apposuerimus, quibus auctor immortalis operis *De l'esprit de lois* libros suos orditur. »Les loix, dans la signification la plus étendue, sont les *rapports* necessaires, qui dérivent de la nature des choses, et dans ce sens tous les Etres ont leurs Loix; la Divinité a ses loix, le Monde matériel a ses loix, les Intelligences superieures ont leurs loix, les Bêtes ont leur loix, l'Homme a ses loix. — Il y a une Raison primitive; et les Loix sont les *rapports*, qui se trouvent entr'elle et les differens Etres, et les rapports de ces divers Etres entr'eux. — Dieu a du *rapport* avec l'Univers" &c. — Has *relationes* (*rapports*) dissensui diversarum naturarum deberi statuit Heraclitus. — Philosophi sententia de justo, si recte, ut videtur, ipsius placitum a Stobaeo relatum cum reliqua doctrina conjunximus et vere ejus explicuimus mentem, profecto valde memorabilis est.

betur. Sed primo loco videtur audacius testimonio Ciceronis (1) omnis detracta fides; tum, quamvis id mittatur, multa tamen loca apud veteres reperiuntur, quae de solis sensibus videntur non accipi posse (2). Non magis cum iis (3) facere possumus, qui statuunt Democritum, cum sensibus vel plerisque eorum fidem negaverat, majori, quam par erat, studio abreptum, omnem in dubium vocavisse veritatem, adeoque oblitum fuisse, quid suae disciplinae deberet. Est enim in Philosophi scriptis nimis frequens et disertius expressa ista scepsis, quam ut verae ipsius menti eam abjudicare valeamus. Vel igitur de recta philosophiae Democriteae notitia desperandum est, vel duas diversas easque principales opiniones deprehendamus necesse est, diverso fortasse tempore prolatas: ut primum Atomisticum systema defenderit, tactus sensu probabile, cui sensui hac in re aeque ac rationi sit perfecta fides habenda (4):

---

(1) Acad. Prior. I. 23. Poster. II. 12. Cf. Seneca Ep. LXXXVIII. Lact. Inst. III. 27.

(2) Sext. Emp. ll. cc. Diog. Laërt. IX. 72. Plutarch. adv. Col. p. 226—228. A sensuum quidem fallacitate orditur querelam de rerum incertitudine: hanc vero nimis absolute pronuntiat, quae ad solos sensus referatur.

(3) D. Tiedemann. Geist. der Speculat. Philos. T. I. p. 281. Stäudlin. Geschichte und Geist des Skepticismus T. I. p. 197.

(4) Arist. de Sensu C. 4. T. I. p. 669. E. 670. A. Cf. Stäudlin. op. c. p. 195. — V. tamen Sext. Emp. adv. Math. VIII. 6. et Tennemann. I. p. 287. — Citatus Arist. locus, comparatus cum Sexti VII. 136, ubi de De-

e quo deinde systemate reliquam veritatem derivaverit; — postea omnia ista, tantum non expressis verbis, miserit et propugnaverit omnium rerum incertitudinem. Nimirum ea ratione multi philosophi, quae prius professi erant, dogmata, aetate provectiores, missa fecerunt: neque mirum profecto isto tempore, quo judicium veri vel simpliciter non veniret in censum, vel certe eo, tamquam fundamento, Dogmatici suam non superstruerent disciplinam. Sed haec hactenus.

E Democriti cum decretis tum scepsi hoc facile evincitur, non magnifice ipsum sensisse de virtute et justitia. Omnia statuit fieri κατ' ἀνάγκην (1). Justitiam soli tribuit opinioni: ποιητὰ δὲ νόμιμα εἶναι, φύσει δὲ ἄτομα καὶ κενόν (2), i. e., si recte auctoris sententiam intelligimus, quae legibus continentur, *solis hominum factis deberi*, atoma vero et inane naturae instituto (3). Ex ipsa

---

Democriti libro sermo est, ea mente conscripto, ut sensuum efficacia defenderetur, demonstrat, quam incertum illud ipsum sit, quid hoc de argumento Philosophus judicaverit.

(1) Diog. Laërt. IX. 45. et Menag. ad h. l.

(2) Diog. Laërt. l. c.

(3) Vertebatur olim nullo sensu »quae vero fiant esse legitima, naturâ vero Atomos et inane''. Stäudlinus Geschichte der Moralphil. p. 62. vertit »Alles Entstandene sey scheinbar oder Gegenstand der Meinung: nur Atomen und Raum seyen von Natur oder wahr und wirklich''. Opponit igitur Vir. Cl. νόμιμα φύσει et ποιητὰ ἀτόμοις, singulari non tantum verborum significatione, sed quae nuspiam usu venit: ποιητὰ plane inauditnm est eo sensu, quem vernacule expressit *alles Entstandene* et quam-

igitur naturae lege nullum jus repetit; contra, ex perversitate hominum: nisi enim studio naturali ducerentur se invicem laedendi, leges iis liberum arbitrium reliquissent (1). Hanc sententiam, quam, etsi non probemus, nulli dubitamus acutissimo philosopho dignam praedicare, jam Bruckerus (2) animadvertit systemati praelusisse Hobbesiano.

In Ethicis autem scriptis, qualia plura Democritus reliquit, non conatus est infirmare popularem religionem, verum egregia praecepta dedit de virtute universe et de justitia (3), tametsi haec quoque plurimum ad philosophi morale principium, tranquillitatem animi (4), referri possint. Eâdem publicae opinionis reverentiâ, ut videtur, conservare studuit Deorum nomen, quorum ceteroquin potentiam quasi inclusit Physici Systematis finibus (5).

SECTIO QUINTA.

DE SOPHISTIS.

Novam eamque maxime memorabilem periodum

quamvis νόμος φύσει opponi soleat, Adjectivus tamen νόμιμος hanc Antithesin philosophicam non redolet. Sententiae quoquè constructio videtur nostram potius probare explicationem.

(1) Stobaeus Serm. CXXXIX. p. 406.

(2) Hist. Philos. T. I. p. 1200.

(3) Cf. Stobaeus Serm. passim.

(4) Diog. Laërt. l. c. Stobaeus Ecl. Eth. L. II. C. 3. Wech-

(5) Cf. Tiedemann. op. c. T. I. p. 278.

ingredimur, qua jus suum sibi vindicare coepit disciplina moralis, qua virtus adeoque praesentim justitia non diutius populari commendatione contineri, vel cum naturalis systematis principiis artificiose conjungi se paterentur, sed propriam requirerent et vero principalem Philosophicae investigationis partem, qua doctrinae Pythagoreae ratio, quae prima cum philosophia mores, cum moribus civitatem conjunxerat, divino Socratis ingenio adoptaretur, et ea sola intelligerentur esse homine digna, quae vera, pulcra, et utilia simul existerent. Cujus tamen animorum mutationis non a Socrate repetimus initium; sed, veluti causarum effectus commemorationi est anteponenda, ab istis hominibus, quorum vel nomen indistincte cum vituperatione comprehendi solet: Sophistas intelligo; quibus si saniores notiones morales non debentur ipsis, debentur certe ingeniorum ad eas constituendas praeparatio atque exercitatio. Quod tamen accipi nolim in eorum laudem esse dictum: ridiculum foret iis, qui flagitia moliuntur, gratias agere pro insigni emolumento, quod ex vigilanti horum conatuum repressione oriatur.

Praeclarum est Sophistarum momentum tum in universam Philosophiae historiam, tum praecipue in nostram quaestionem: in nostram quaestionem dico: cum enim juris notionem propter socialem hominum conditionem constituendam, et constitutam avide arreptam, deinde religione, legibus sancitis omnique humanitatis sensu firmatam et

propagatam, Philosophorum denique, si modo eam attigerint, operâ adjutam aut certe commendatam, verbo semper indubitatae prae se ferentem demonstraverimus veritatis auctoritatem, videmus subito prodire multos homines hanc simul auctoritatem respuentes assiduoque nitentes ac pertinaci studio, non ut hanc notionem temperarent modificarentque, sed ut everterent penitus, eosdemque neque communi opinione deprehendimus vindicatos, neque commotos quidem auditores insolita opinionis audacia, verum elatos magis ingenii admiratione, quo nova haec doctrina defendebatur; ut contrahamus sententiam, videmus publicam de re gravissima opinionem celerius imminutam, immo rejectam, quam fieri solet, ejusque loco aliam suppositam, quae novam plane nobis, de juris naturalis existimatione quaerentibus, faciem obfert. Primo loco inquiramus, quibus causis effectum sit, ut tot homines tantoque ingenio praediti simul bellum contra omnia ea susciperent, quibuscum solis civitas stare potest; tum explicemus, quaenam principium et fons fuerint universae Sophistarum doctrinae; denique videamus, quamnam vim in sui temporis philosophiam et humanitatem exercuerint, ut, quae ipsis communia sint, explicitis, singulorum Sophistarum disputationem de argumento nostro persequamur.

Causae istae, in quas inquirere oportet, sunt partim ex Graeciae tunc temporis conditione, partim ex pristina Philosophiae ratione repetundae.

Religiosa legum veneratio sensim sensimque evanuerat et Aristocraticae imperii formae, quae Monarchicam fere exceperat, cura nimis in universi populi manibus posita erat, quam ut diu probe gereretur. Multas adde leges e veteri superstitione oriundas, temporumque cursu vi sua destitutas, et facile intellectu erit jam diu solam desideratam fuisse occasionem, qua publicum ingenium ex illo statu dejiceretur. Occasionem hanc praebuit belli Persici exitus, quo cum libertatem populus defendisse aestimabatur, feliciter gesso, animadvertere tandem voluit, qua in re haec libertas consisteret, quam cum in singulorum suo jure non reperiret, novis institutis introducere cogitavit (1). Quum igitur homines, praesenti rerum statu non contenti, novas quaerere instituerent, ac hoc consilio de jure et jurisprudentia saepius privatim confabulari et publice conqueri inciperent, necessario inter eos existere debuerunt, qui communi opinioni adularentur (2), ut suis prospicerent commodis et pro majori dicendi facultate brevi auctoritatem quandam oc-

(1) Cf. Cel. Luzac de Socr. cive p. 20, 61.

(2) Plato de Rep. VI. p. 493. A. *῞Εκαστον τῶν μισθαρνούντων ἰδιωτῶν, οὓς δὴ οὗτοι σοφιστὰς καλοῦσι, καὶ ἀντιτέχνους ἡγοῦνται, μὴ ἄλλα παιδεύειν, ἢ ταῦτα τὰ τῶν πολλῶν δόγματα, ἃ δοξάζουσιν, ὅταν ἀθροισθῶσι, καὶ σοφίαν ταύτην καλεῖν.* Deinde illos comparat cum iis, qui ferocis animalis iras et cupiditates observaverint et bonum ac malum nominent *ἐπὶ ταῖς τοῦ μεγάλου ζώου δόξαις· οἷς μὲν χαίροι ἐκεῖνο, ἀγάθα καλῶν, οἷς δὲ ἄχθοιτο, κακά.* Cf. Gorg. 481. E.

cuperent; quos dein ulterius in hanc viam pro gredi sinebat tum civium studium sua ab iis de fensum iri existimantium, tum in universam ci vitatem latius irrumpens ἀδιαφορία (quam indiffe rentiam vocant) in rebus moralibus, superbia luxu quotidie auctis mirifice propagata. Cernit illud praecipue in Atheniensibus (1), de quib eximie haec disputatio valet, quorum praeter levi ingenio jam propter novitatem Sophistaru audacia placuit.

Quod autem viri multifariae doctrinae hanc p tissimum viam inirent, non soli temporum cond tioni est imputandum; effecit plurimum pristi philosophiae tractatio. Primo sexcenties iterat querelae, atque nuper de industriâ a Zeno Eleate (2) magna ingenii vi instituta disputatio

(1) Non satis commendari possunt, quae de variis Atheni sium civitatis mutationibus, in nostrum usum, dispu celeb. Meiners Gesch. der Wiss. T. II. p. 1—171. etiam doct. De Geer Diatr. in Polit. Plat. princ. 18 p. 34. sqq.

(2) Realitatem Empiricam negavit et omnem adeo veritat sustulisse dicitur Arist. Metaph. III. 4. T. II. p. 8 Isocr. Hel. Encom. p. 408. Seneca Ep. LXXXVIII. (Tennemann. T. I. p. 191, 203 sqq.). Zeno etiam, q Dialecticam invenit (Sext. Empir. VII. 7. Diog. Laërt. 25. alii) atque docuit (Periclem eloquentiam docuisse di tur Plutarch. Vit. Per. p. 154 A), quodque prir mercedem institutionis exegit (Plato. Alcib. I. p. 119 Cf. Krug. Gesch. der Philos. §. 43.), Sophistis pra visse censetur et ipse adeo inter Sophistas nomina apud Isocratem Enc. Hel. p. 408 A. Universa Scho Eleaticae ratio proxime cum Sophistica conjuncta (cf. Cl. J. Geel Hist. Crit. Soph. qui Socratis aetate f

rerum omnium incertitudine, non multum, ne in moralibus quidem, fidei reliquerant; tum frequens quamvis indirecta admonitio, bene inter ea distinguendum esse, quae in legibus institutis a natura, et quae a sola opinione proficiscerentur, liberius judicii exercitium provocaverat; tertio loco omnis doctrina de moribus gratis assumta et praecepta Ethica laudata magis quam probata vehementer moverant suspicionem (1); hoc denique,

ruerunt, in Nov. Act. Soc. Traject. T. II. p. 237. sqq.); non ita tamen, ut quod voluit vir aestumatissimus, haec ex illa pendere videatur. Quamvis enim Eleaticorum acumen laudetur in disputando, non eo legimus illos usos fuisse in disceptationibus quae ad rempublicam pertineant. Disputandi fortasse formam imitati sunt (nequaquam philosophandi principia secuti) Gorgias et Protagoras in quaestione de *veri judicio*, verum in reliquis, quibus eximie famam suam debuerunt, Sophistae nihil ab iis mutuati sunt; quin Politica Schola, e qua prodierint Sophistae, diserte Physicorum Philosophiae opponatur in loco, quem laudat idem Geel, Plutarch. Vit. Themist. p. 112. D, (quocum conferri merenter Isocr. de Permut. p. 677. C. et Themist. Or. XXIII. p. 286. ed. Hard. 1684.) ita ut Viri Cl., omnia fere ad Scholam Eleaticam referentis, disputatio speciosa magis quam vera videatur. Iis quidem, qui diserte Rhetores appellari volebant, Gorgiae v. c., institutionis vinculum cum Eleaticis non plane abnegandum est, sed ii ipsi aliam deinde, cum reliquis Sophistis communem, philosophandi formam induerunt.

(1) Mirum est, quod Celeb. Stäudlinus Gesch. der Moralph. p. 73 sq. in pristina disciplinae moralis tractatione nullam causam se reperire ajat, cur a Sophistis ea impugnaretur. Provocat ad Pythagoram: verum hujus placita, antequam Platonis relevarentur ingenio, parum in Graecia cognita erant. Quod ad Democritum et Gnomicos, quos

cuparent; quos dein ulterius in hanc viam progredi sinebat tum civium studium sua ab iis defensum iri existimantium, tum in universam civitatem latius irrumpens ἀδιαφορία (quam indifferentiam vocant) in rebus moralibus, superbiâ et luxu quotidie auctis mirifice propagata. Cernitur illud praecipue in Atheniensibus (1), de quibus eximie haec disputatio valet, quorum praeterea levi ingenio jam propter novitatem Sophistarum audacia placuit.

Quod autem viri multifariae doctrinae hanc potissimum viam inirent, non soli temporum conditioni est imputandum; effecit plurimum pristina philosophiae tractatio. Primo sexcenties iteratae querelae, atque nuper de industriâ a Zenone Eleate (2) magna ingenii vi instituta disputatio de

(1) Non satis commendari possunt, quae de variis Atheniensium civitatis mutationibus, in nostrum usum, disputat celeb. Meiners Gesch. der Wiss. T. II. p. 1—171. Cf. etiam doct. De Geer Diatr. in Polit. Plat. princ. 1810. p. 34. sqq.

(2) Realitatem Empiricam negavit et omnem adeo veritatem sustulisse dicitur Arist. Metaph. III. 4. T. II. p. 867. Isocr. Hel. Encom. p. 408. Seneca Ep. LXXXVIII. (Cf. Tennemann. T. I. p. 191, 203 sqq.). Zeno etiam, quod Dialecticam invenit (Sext. Empir. VII. 7. Diog. Laërt. IX. 25. alii) atque docuit (Periclem eloquentiam docuisse dicitur Plutarch. Vit. Per. p. 154 A), quodque primus mercedem institutionis exegit (Plato Alcib. I. p. 119 A. Cf. Krug. Gesch. der Philos. §. 43.), Sophistis praeivisse censetur et ipse adeo inter Sophistas nominatur apud Isocratem Enc. Hel. p. 408 A. Universa Scholae Eleaticae ratio proxime cum Sophistica conjuncta est (cf. Cl. J. Geel Hist. Crit. Soph. qui Socratis aetate floruerunt

rerum omnium incertitudine, non multum, ne in moralibus quidem, fidei reliquerant; tum frequens quamvis indirecta admonitio, bene inter ea distinguendum esse, quae in legibus institutis a natura, et quae a sola opinione proficiscerentur, liberius judicii exercitium provocaverat; tertio loco omnis doctrina de moribus gratis assumta et praecepta Ethica laudata magis quam probata vehementer moverant suspicionem (1); hoc denique,

ruerunt, in Nov. Act. Soc. Traject. T. II. p. 237. sqq.); non ita tamen, ut quod voluit vir aestumatissimus, haec ex illa pendere videatur. Quamvis enim Eleaticorum acumen laudetur in disputando, non eo legimus illos usos fuisse in disceptationibus quae ad rempublicam pertineant. Disputandi fortasse formam imitati sunt (nequaquam philosophandi principia secuti) Gorgias et Protagoras in quaestione de *veri judicio*, verum in reliquis, quibus eximie famam suam debuerunt, Sophistae nihil ab iis mutuati sunt; quin Politica Schola, e qua prodierint Sophistae, diserte Physicorum Philosophiae opponatur in loco, quem laudat idem Geel, Plutarch. Vit. Themist. p. 112. D, (quocum conferri merenter Isocr. de Permut. p. 677. C. et Themist. Or. XXIII. p. 286. ed. Hard. 1684.) ita ut Viri Cl., omnia fere ad Scholam Eleaticam referentis, disputatio speciosa magis quam vera videatur. Iis quidem, qui diserte Rhetores appellari volebant, Gorgiae v. c., institutionis vinculum cum Eleaticis non plane abnegandum est, sed ii ipsi aliam deinde, cum reliquis Sophistis communem, philosophandi formam induerunt.

(1) Mirum est, quod Celeb. Stäudlinus Gesch. der Moralph. p. 73 sq. in pristina disciplinae moralis tractatione nullam causam se reperire ajat, cur a Sophistis ea impugnaretur. Provocat ad Pythagoram: verum hujus placita, antequam Platonis relevarentur ingenio, parum in Graecia cognita erant. Quod ad Democritum et Gnomicos, quos

quod si fundamento cuidam haec doctrina superstructa videretur, illud in solo felicitatis principio collocatum esset, ad proposito contrarium saepe perduxit finem (1). Hae praecipuae causae fuisse videntur subiti Sophistarum proventus et communis fere benevolentiae, qua initio accipiebantur.

De doctrina Sophistarum expondituri, primum de fontibus videamus necesse est, e quibus illa recte hauriatur. Ex editis scriptis, uno Gorgiae libello, qui ad quaestionem nostram non pertinet, excepto, nullum servatum est, ita ut ex aliorum testimoniis, quae huc pertinent colligere cogamur. Et magnam hoc habere cautionem, multi viri docti judicarunt; imo tanquam ex impuro fonte profectis, omnem fere iis negavere auctoritatem (2); alii rectius, puto, horum testimoniorum fidem vel plane retinuerunt, vel magnam certe partem (3): Platonis enim, Aristotelis et quotquot plures de

quos affert, non opus erit monere, quum non ab Ethices praeceptis refutandis, verum principiis evertendis, Sophistae ordirentur.

(1) Ut probetur, si utilitas spectatur, justitiâ injustitiam lucrosiorem esse, tendit v. c. Thrasymachi disputatio apud Plat. Rep. I. 343. D. sqq. quem collatis utriusque beneficiis refutat Socrates ib. 348. A. sqq. Cf. II. 358. C. Plura infra videbimus.

(2) Cff. Barthelemy Voyage du jeune Anarch. Ch. LIV, V. Limburg Brouwer op. l. p. 46, H. E. Foss Comm. de Gorgia Leont. p. 27 sq., 39, alii.

(3) Cff. Garnier Memoire sur Platon dans les Mem. de l'Acad. des bell. Lett. et Inscr. T. XXXII. p. 156, Tennemann o. l. I. 351. sqq., Geel Comm. l. p. 2, Meiners o. l. T. II. p. 207, 220, alii.

iis retulerunt, indignatio suspectum quidem reddere potest ipsorum judicium de placitis a Sophistis propositis; quin haec vero non fallaci ac perfido modo effinxerint vel detorserint, evincit ipsorum probitas, de qua inconsiderate nimis contrariae partis fautores statuere videntur. Ut enim suspectis bona reconcilietur, integram aliorum existimationem laedere, iniquum est. Probabiliter eam contra Sophistas disceptationem comparandam esse censemus cum eâ, quae recenti aevo contra Jesuitas haberi solet. Meritorum, quibus in rem litterariam inclaruerint, nullâ aut exiguâ habitâ ratione, arte quâdam ex eorum scriptis istae tantum opiniones eruuntur, quibus doctrinam suam odiosam et vero civitati perniciosissimam reddiderunt. Quod quamvis oppugnantium probet vehementius studium: nihilominus perversae istae opiniones merito Jesuitarum ordini adtribuuntur. Idem valet de Sophistis.

Jam ad doctrinam Sophistis communem transgredimur: et hoc quidem statim occurrit valde memorabile, quod quamquam nullo fere sive institutionis, sive disciplinae, sive amoris vinculo inter se tenerentur, quamquam infestum saepe sibi invicem animum manifestarent (1), quamvis

(1) Plato Protag. p. 317. C, 318. D. E. ubi *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι*, inquit Protagoras, *λωβῶνται τοὺς νέους· τὰς γὰρ τέχνας αὐτοὺς πεφευγότας ἄκοντας πάλιν αὖ ἄγοντες ἐμβάλλουσιν εἰς τὰς τέχνας, λογισμούς τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ μουσικὴν διδάσκοντες· καὶ ἅμα εἰς τὸν Ἱππίαν ἀπέβλεψε.* Cf. Meno 95. C.

imo inter eos exstiterint, qui nominis societatem diserte repudiarent. (1), omnes tamen communi appellatione et contumelia comprehendebantur, quodque, olim jam leviuscule tantum inter se distincti, recentiori tempore adeo inter se permixti fuerunt, ut fere non amplius, quid Protagoras, quid Gorgias, quid Prodicus, sed quid Sophistae opinati fuerint, quaeratur (2). Causa in docendi

---

(1) Plato Gorg. 449. A. *μᾶλλον δὲ, ὦ Γοργία, αὐτὸς ἡμῖν εἰπὲ τίνα σὲ χρὴ καλεῖν, ὡς τίνος ἐπιστήμονα τέχνης. ΓΟΡ. Τῆς ῥητορικῆς, ὦ Σώκρατες. ΣΩ. Ῥήτορα ἄρα χρὴ σὲ καλεῖν; ΓΟΡ. ἀγαθόν γε, ὦ Σώκρατες.* Cf. Groen v. Prinsterer Platon. Prosogr. p. 98. sq.

(2) Quod in critica et litteraria Sophistarum historia sit inter ipsos ac Rhetores distinguendum, non diffiteor, verum philosophiae ratione habita superfluum et minine idoneum videtur. Ubi enim a veteribus distinguuntur, hoc ita vulgo fit, ac si specie magis quam re verâ hoc discrimen obtineat (cff. Plato Gorg. 465. C. 520. A. B. Arist. de Soph. Elench. p. 314.); tum a Sophistis plurimi Rhetores instituti erant, et de singulis ambigitur fere omnibus, utrum illorum ordini sint adscribendi, nec ne, v. c. de Gorgia (c Plat. Gorg. 449. A. coll. cum Hippia Maj. 282. B, aliisque locis oppositis, quos collegit l. Foss p. 39. sqq.), de Eveno Pario (ex Apol. S. 20. B. Phaedr. 267. A), aliis. Possimus praeterea multa afferre veterum testimonia, e quibus probetur distinctionem non esse admissam, vel parvi habitam: si quaedam sit accipienda, haec est, quod Rhetores non omnia tractarint, quae solebant Sophistae, et a proferendis propriis sibi placitis abstinuerint, ut eximie dicendi arti animum attenderent. Verum ne hoc quidem indistincte admitti potest: modo enim Rhetor describitur, ut Sophista solet; modo contrarium obtinet. Discrepantia inter posteriores virtutis ac eloquentiae magistros magis quodammodo delineata est; sed primi isti, de quibus hoc loco agitur, recte uno nomine appellati et uno judicio condemnati sunt.

magis ratione, quam argumento posita est: quum enim populari ambitione, quae rerum civilium intelligentiam captare et administrationem amplecti conaretur, usi, hanc facultatem facile se communicare posse gloriarentur, et viderent cives, imprimis adolescentes, crebro ad se adfluentes, intellexerunt, quantum ad suum commodum ex communi hoc ardore possent efficere et primi pretium quoddam statuerunt, quo artis suae notitiam studiosis venderent (1). Deinde, ut solent popularis aurae adfectatores, singularem doctrinam jactitarunt (2). Quae igitur a reliquis Philosophis

---

(1) Protagoras dicitur primus mercedem poposcisse Plat. Protag. 349. A. (cff. Theaet. 161. E. Diog. Laërt. IX. 52. ibique Menag.), cui loco non adversantur, quae de Zenone idem affirmant. Nam hic neque virtutis magistrum se praedicavit, neque publicis lectionibus Sophistarum more pecuniam comparare studuit: narratum etiam de Zenone nullâ contumelia adjectâ Alcib. I. 119. A. Cf. Olympiod. ed. Creuzer. Sch. ad h. l. p. 140. Neque obstant, quae de Antiphonte e Diodoro leguntur apud Clem. Alex. Strom. I. p. 365. *καὶ μισθοῦ συνηγορῆσαι πρῶτον δικανικὸν λόγον*, aliosque, quos citat doct. Spaan de Antiph. in Rhunken. Opusc. p. 230. Ibi enim de mercede sermo est pro defenso negotio acceptâ. Quantas divitias hac ratione congesserint Sophistae, satis notum est. Vehementer in morem invexit Socrates, qui propter eum reprehendisse Aristippum (Diog. L. IX. 63.), et Sophistas cum scortis contulisse dicitur Xenoph. Mem. I. 6. 13. *καὶ τὴν σοφίαν ὡσαύτως τοὺς μὲν ἀργυρίου τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας σοφιστὰς, ὥςπερ πόρνους, ἀποκαλοῦσιν.* Apud Platonem lepide hanc ob rem eos saepissime ludit v. c. Cratyl. p. 384. Protag. 313. C. 328. B. C. Ap. S. 20. B. Soph. 133. C. D. Meno 91. D. Rep. I. 337. D. sqq.

(2) Xenoph. Symp. init.

eos segregarint et communis disciplinae specie conjunxerint, sordida avaritia atque immodica arrogantia fuerunt (1). Ut multos sibi discipulos adstringerent, artem civitatis regundae praedicarunt facillimam: quippe nihil desiderari, nisi dicendi facultatem, cum leges, civitati apte constituendas, optimas quisque eligere possit e variis legibus, quibus diversi populi utantur (2). Hac dicendi facultatis ad publica negotia applicatione altera disciplinae Sophisticae pars continetur.

Altera pars ipsorum placitis absolvitur, quibus etsi non omnino consenserint, idem tamen philosophandi probarunt principium: nempe quod universa doctrina de moribus nullo idoneo fundamento nitatur. Hoc imprimis est, quod omnium temporum exsecrationi eos devovit: neque injuria: quum exitialem istam pestem non scholae tenebris involverunt, sed publicarum lectionum institutionisque contagione per universam civitatem propagarunt. Si philosophandi ratio cum consueto more convenisset, privatae disciplinae finibus circumscripta, non fuisset, cur tam severe judicarentur. Priores etiam philosophi multas opiniones foverant, religioni nec bonis moribus consentaneas, a quibus vero internae institutionis obscuritate

(1) Cic. Acad. Pr. II. 23. Quis est hic? Num Sophistes? Sic enim appellabantur ii, qui ostentationis aut quaestus causa philosophabantur.

(2) Arist. Nicom. L. X. p. 143. Duvall.

plebem arcuerant; quae, ut dicam, quod verum est, si vestigia pressissent, non solum crimen, verum defuisset etiam suspicio. Qui enim antiquam philosophiam accuratius perscrutarentur, vanorum figmentorum et contrariarum opinionum innumerabilum offenderent copiam necesse erat, quin, in ejus naturam inquirentes interius, omne desiderarent fundamentum, quo cognitionis humanae aedificium extrueretur. Plures Sophistae, inter quos Protagoras et Gorgias praecipue sunt appellandi, hanc dubitandi materiem prolixe in usum suum impenderunt; alii, his acceptis, statim progressi ad moralis doctrinae impugnationem, Philosophos evocarunt, ut probarent principia, e quibus illa eliceretur; et quandoquidem e neglecta fere Ethica disciplina nihil hujusmodi proferri posset, ovantes concluserunt, virtutem ac justitiam inani consistere nomine.

Huc usque tamen nonnisi solita habemus tegumenta libidinis, famae quâdam celebritate et doctrinae specie protecta: verum ulterius prosequentes insignia ingenii deprehendimus indicia, novamque prorsus philosophandi viam. Quum enim negarent doctrinae moralis veritatem, perscrutati sunt primi, unde tandem illae notiones, ac prae ceteris notio justi, originem traxerint; quam investigationem, quum nihil ipsi opitularetur historia, sola ingenii praesumptione absolvere oportebat. Primum hoc exemplum est philosophicae indagationis in originem et naturam notionis moralis,

primum in verae philosophiae initiis virium periculum factum; unde recte dixisse nobis videmur, novam hoc loco nos ingredi periodum. Non negamus antea quidem in mentem venisse hominibus, ut quaererent, quae tandem prima causa justi, quod omnes colant: sed praeciderant magis quaestionem, quam absolverant. »Aurea prima sata aetas est" etc. Aurea aetas illa exemplar (1) primum agnitae ac cultae justitiae refert, ortae vel primum institutae notionem nullam (2). Fortasse, dixerit quis, de industria talia omiserunt, non necesse esse opinantes, quippe qui innatas sibi has notiones existimarint. Sit ita: at vero Sophistis tum major laus debetur, crassae superstitionis desertoribus, qui nullius notionis moralis originem nobismet solis deberi viderint, verum eas potius externarum rerum impulsu communicari. Nimirum justitiam Sophistae perhibuerunt esse inventum, quod primis temporibus, quum omnia libero arbitrio regerentur a fortioribus, his imbecilliores opposuerunt; quod deinde, in quâvis civitate adoptatum, potentiam legum moderatricem consectata est. Multis vitiis laborare hanc sententiam, de qua infra, ubi ad auctorem suum referatur, latius, non inficiamur: verum hoc egregium ipsius meritum est, quod primariam hominum conditionem ponat destitutam juris notione, et hujus ex illâ principium derivet. Quum hoc

(1) Vernac. *Ideaal.*
(2) Cf. supra p. 10.

justi, quod habetur, duxerint initium, facile intellectu erit, quid ipsi *justum*, seu potius dicendum est *verum*, judicaverint: nempe fortioris imperium natura probari; sapientis igitur esse obtemperare cupiditatibus, et cum hac in re vera felicitas sit collocata, illis laxare habenas, ut implendis quam felicissimus evadat.

Tertio loco nunc videamus, quatenus e Sophistarum disputationibus notio justi vel melior vel deterior exstiterit, tum quod attinet ad publicum Graecorum ingenium, tum ad tractationem hujus disciplinae moralis partis in scholis Philosophorum. Est rursus distinguendum inter dicendi facultatem, quam civilium rerum usui adaptabant et placita de eo, quod justum est. Dicendi illa facultas in Philosophiae studium exiguam aut nullam, in civitatem vero maximam habuit efficacitatem. Promovit enim, imprimis Athenis, Sophistarum disciplinae nisi matre, nutrice tamen et altrice, perversum illud cujusvis ordinis hominum in rempublicam se immiscendi studium, quod leges paullatim immutatae et seditiosum deliberandi genus jam nimis foverant, estque hoc nomine in proximis causis habenda, quae huic civitati perniciem attulere. Hac tamen arte, qua praecipuam famam consecuti erant, concidit simul Sophistarum auctoritas, cum tam ipsorum quam discipulorum exemplum probaret, in civili eloquentia quantum ab usu Theoria dis-

tet (1). Proprie sic dicenda Sophistarum doctrina, de justitiae origine suspecta, de fine naturae incongruo etc., multum abest ut fatalem hanc vim habuerit, quam aliâ datâ opportunitate non exercere non potuisset, cujus rei magna utique causa, quaeque sola haberi solet, in Socratica disciplina posita est ac Ironia maxime, major tamen in ipsa Sophistarum ratione. Quod enim accepto aere docebant, adeoque ditissimos quosque juvenes maxime venabantur (2), effecit, ut horum esset propinquis parcendum, neque igitur serio nec nisi propter ingenii laudem opiniones defendere possent, quae ad societatem valerent subvertendam, a quibus scilicet ii maxime abhorrent, quos beneficiis suis fortuna prosecuta est (3). Qui vero ob solam acuti ac subtilis ingenii laudem paradoxa tueantur, eis, quantopere illa crescat, tantopere minuitur fides (4). Explicatur hoc,

---

(1) Sext. Empir. adv. Rhet. II. 18. ab omnibus semper observatum esse affirmat, quod *οἱ σοφιστεύοντες ἐπ' ἄκρον μὲν τὴν Ῥητορικὴν ἐξήσκησαν τεχνολογίαν, ἰχθύων δὲ ἀφωνότεροι ἐπὶ τῆς γῆς ὑπαίθρου θεωροῦνται.* Cff. Isocr. Encom. Hel. 410. B, Or. contra Soph. 576. B. C. Arist. Nicom. X. p. 143.

(2) Plato Soph. 231. D. *δοκῶ μὲν γὰρ, τοπρῶτον εὑρέθη νέων καὶ πλουσίων ἔμμισθος θηρευτής.* Cff. Theag. 128. A. Meno 70. B. Xenoph. Cyneg. C. 13.

(3) Propterea Socrates nunquam mercedem accepit, ut libere posset ea proferre, quae revera sentiebat. Cf. Xenoph. Mem. I. 6. 5.

(4) Cic. de Off. II. 9. »Quo quis versutior et callidior est, hoc invisior et suspectior, detractâ opinione probitatis''.

quam jactitabant, arte de quacunque re in utramque disputandi partem, quod artificii genus, dum novum est, placet; quod autem, quo luculentius ipso perfungantur, eo magis suspectam reddit oratorum integritatem. Talium virorum manifestum est auctoritatem esse fictitiam tantum, quae solo ingenio sustentetur, et, simulac hoc deesse incipiat, facillime dilabi. Sophistarum itaque fama vehementissimo se ipsa ictu petivit, cum rudes, frivoli et inepti homunculi audacissimas sententias, nullo neque sale conditas neque pumice politas, temere proferrent: viderunt homines nudam ostendere solam se posse veritatem, mendacium desiderare ingenii tamquam amictum. Est profecto nil intolerabilius istis hominibus, qui pro ingenio impudentiam, pro eloquentiâ pertinaciam ponant, qualium exempla offendimus in Dyonisidoro et Euthydemo in Dialogo Platonis, qui ab hoc nomen habet, et in pluribus, imprimis postremi temporis, Sophistis (1). Etsi igitur Sophistarum placita non id valuerint in civitatem, quod ab illis extimescendum erat, sanctissimis tamen rebus vulgari disputatione tritis, levissimâ altercatione

(1) Isocrates sui temporis Sophistas aegre reprehendit in Orat. contr. Soph. et in Introd. ad Helen. Encom., in qua iis objurgat, quod in inutilibus tantum quaestionibus versentur et rectam negligant discipulorum educationem: *ἀλλὰ γὰρ οὐδενὸς*, subjïcit p. 409. A. B., *αὐτοῖς ἄλλου μέλει, πλὴν τοῦ χρηματίζεσθαι παρὰ τῶν νεωτέρων.* Causam, quod futiles tantum et inanes res tractant, in ingeniorum infirmitate positam esse judicat p. 410. D. Cf. Lucian. Lexiph. 23. T. II. p. 348. Hemst.

gravissimis quaestionibus tentatis, ingenii laude prae veritatis studio expetitâ, omnis religiosa illa sublata est auctoritas, sine qua in civitate virtus nulla est, et vaga plurimorum hominum animis obrepsit suspicio, in talibus quaestionibus, qualis de justo habetur, non funditus esse despiciendum, si e communi servatas esse naufragio velis, quod religioni Sophistae minitabantur.

Varia haec exiguae et imminutae auctoritatis ac brevi succedentis ruinae elementa continebat Sophisticae doctrinae ratio; at contra maximae et vero praeclarae efficacitatis fuit in veterem Philosophiam. Etenim quum ad principia, e quibus primas suas notiones efformarent homines, adscenderent, adversarios coëgerunt eundem tramitem retrorsum legere et ita summorum philosophorum studia eo direxerunt, unde universae disciplinae moralis initia petenda sint, opportunitatem praebuerunt eleganti Socratis disputationi et nova Ethices elicuerunt systemata, stabiliori fundamento exstructa. Nunquam non profecit philosophia, adversariorum telis petita: imo sine iis pulcherrima non exstitissent humani ingenii monumenta: ita, quantum paullo post profuerit Scepticorum dubitatio, dici vix potest: ex ea maxime profecta est Stoicorum disciplina et omnis tandem philosophia aucta; ita, ut exemplum sumam e recenti aetate, celebratae Humii Scepsi immortale Kantii opus debetur (1).

(1) Imm. Kant. Proleg. zu einer jedem kunft. Metaph. p. 13.

Eandem utilitatem inviti Sophistae praestiterunt, quos tamen non propterea laudandos, sed vituperandos propter perversum consilium et projectam disputandi rationem duxerunt philosophi, nullamque omiserunt *falsam* eorum *sapientiam* perstringendi opportunitatem (1).

Famosae istae de justitia sententiae, quas universe supra recensuimus, non principum Sophistarum auctoritate ad nos pervenerunt; verumtamen e seminibus, in ipsorum scriptis et institutione late dispersis, a discipulis productae sunt. Ipsi hoc maxime enixi sunt, ut communes errores et superstitionem, quam vocabant, non solum umbraticà quâdam doctrinâ et publicâ disputatione impugnarent, sed principali quodam placito philosophorum more radicitus evellerent. Sic Protagoras, a quo, quippe primo, qui se professus est Sophistam (2), incipio, auctor est celebratae illius per totam antiquitatem sententiae, *hominem*

---

(1) Sophista opponitur *σόφῳ* apud Plat. Soph. 268. B. C. item apud Lucian. Hipp. 2. T. III. p. 87. Arist. de Soph. Elench. p. 282. *ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὖσα δὲ μὴ* sqq. Cff. Plutarch. Vit. Them. 112. D. Lucian. Fugit. 20. T. III. p. 370. Multa collegit de Sophistarum reprehensione sed sine ullo judicio, ut solet, Cresoll. Theatr. Rhet. in Gron. Thes. Ant. Gr. T. X. p. 26, 54, 65 et passim.

(2) Plat. Protag. 361. D. — 317. C. — Cff. Cresoll. Theat. Rhet. p. 1—18, 27. Wesseling. ad Herod. I. 29. Blomfield in Gloss. ad Aesch. Prom. Vinct. vs. 62.

esse mensuram omnium (1), quâ id voluit, cuique, quod sibi videtur verum, esse *verum*, et quod falsum videtur, *falsum*. Quaevis igitur res, cum in subjecto, quod dicitur, sola insit veritas, fontem continet duarum sibi oppositarum notionum (2); quia autem ambae verae *sunt*, ratione eorum, quibus *videntur*, proprie neque contradicere quis, neque mentiri potest (3). Judicium nostrum de hac enunciatione cohibebimus, cujus ne mentionem quidem injecissemus, nisi cum eâ essent proxime conjuncta, quae ad nostram quaestionem pertinent. Nullas igitur statuit opiniones reliquis esse veriores, at multas utiliores, quas qui aliis persuadere poterit, ille sapiens existimandus est (4): et hoc in negotio ars Sophistica consistit. Ecce argutissimi viri disciplinam non experientiâ solâ probandam, verum a priori, ut dici solet, commendabilem.

Quum autem Sophistica disciplina propter naturam suam omnes scientias et artes amplectatur, singuli propriam quandam sibi elegerunt, in quâ maxime elaborarent. Protagoras, spretâ aliorum industriâ, qui vanâ cognitione implerent juvenum

---

(1) Theaet. 152. A. *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων, ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν*. Cff. Tiedemann. o. l. p. 353, 358. Geel. o. l. p. 92. sqq. Astius ad Legg. IV. 716. C., in Edit. Legg. et Epin. p. 419.

(2) Diog. Laërt. IX. 51. ibique Menag.

(3) Theaet. 187. Diog. Laërt. l. c. 53.

(4) Theaet. 166. D. sqq.

mentem, se ea sola praecipere gloriatur, quae propter ad se discipulus veniat, qua scilicet ratione optime quis domestica et civilia negotia administrare possit (1). Ad quae cum respondisset Socrates (2), suspicari se hanc *politicam artem* non posse tradi: quod efficitur tum ex Atheniensium, sapientissimi populi, more, qui quum de reliquis artibus eos, qui earum cognitionem datâ operâ perceperint, solos audiendos putent, exsibilatis vel imo rejectis, qui earum expertes aestimantur, in deliberatione tamen de rebus publicis omnes cujuscunque ordinis vel conditionis cives admittunt, et ostendunt igitur ex suâ sententiâ de re agi, quam quis nullo praeceptore intelligat, quaeque non possit doceri; tum ex exemplo illustrium virorum, qui, quamtumvis ipsi in rebus civilibus polleant, ad earum administrationem neque liberos suos neque alios discipulos educare potuerint: — utramque Protagoras accurate refellit objectionem, et priorem quidem ornatâ ac copiosâ argumentatione, in qua ratio nostra jubet aliquamdiu commorari. Duae sunt iterum disputationis partes, quarum altera confirmat etiam atque explicat Socratis dubitationem, diluit altera. Prior autem

---

(1) Protag. 318. E. *Τὸ δὲ μάθημα ἐστὶν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ· καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν.*

(2) P. 319. A. — 320. C.

egregiâ ac celebri continetur fabulâ (1), in qua jam occurrunt ista, quorum quidem gratiâ colloquium Sophistam inter et Philosophum commemoravimus. Quantum fieri possit, in enarrando breves erimus, contrahentes ea, quae non expresse ad quaestionem nostram faciant.

Quum Epimetheus, Dei jussu et benevolentia Promethei suas ipsi partes cedentis, varia animalium genera variis armis, quibus se defenderent, tegumentis, quibus aëris tolerarent intemperiem et alimentis, quibus nutrirentur, instruxerat, ita omnes effuderat vires, ut quo donaret hominem, non amplius haberet. Generi nostro jamjam ex terra orituro subvenit Prometheus et artificiosam sapientiam (τὴν ἔντεχνον σοφίαν) simul cum igne, sine quo ipsa inanis fuisset, e coelo subripuit. Jam homo divinae sortis cognatione, quam furto debebat, in eo pluris valuit, quam reliqua animalia, quod Deos esse putaverit, voces articulatim expresserit, distinxerit verba; sed, quamvis ea sibi suppeditare posset, quae ad sustentandam vitam conducunt, ad defendendam eam contra validarum ferarum impetum minime idoneus erat: desiderabat enim *sapientiam civilem* (τὴν τέχνην πολιτικήν), cujus polemica pars est. Ut igitur homi-

(1) 320. C. — 322. E. — Egit de hac fabula Spec. Acad. A°. 1822 doct. Ekker, qui veterum testimonia huc pertinentia diligenter ac ornate collegit et exposuit, sed proprium ac moralem fabulae characterem non satis percepisse videtur.

nes se immunes redderent, conjunctâ operâ urbes struxerunt; verum hoc modo congregati, invicem injurias inferebant, ita ut in pristinum statum redire cogerentur. Jupiter metuens tandem, ne genus humanum penitus interiret, Mercurium misit hominibus *justitiam* et *pudorem* inpertiturum, quae duo civitatem ornarent et amicitiae vinculo cives devincirent: cui interroganti, utrum pariter atque artes singulis ea distributurus esset, universis esse donanda, Deus respondit: nisi enim tenerent omnes, ne oriri quidem posse civitatem; et insuper legem esse ferendam, quae praecipiat tanquam civitatis pestem occidere τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν. — Ex postremis his deinde arripit Socratis objectionem: si enim omnes haberent justitiam et pudorem, non existerent οἱ μὴ δυνάμενοι cet. Quod hi tamen sint, quodque et quo consilio puniantur, hoc probat Athenienses existimare, institutione illas virtutes posse parari.

Laudes hujus compositionis nimis praedicatae sunt et a lectoribus, qui ipsum Platonem adeant, melius perceptae, quam de quibus verbum moneamus (1). Sed observationes, quas in usum

(1) Suffecerit Celeb. Heusdii testimonium Init. Phil. Plat. T. II. P. III. p. 150. »Verum idem Plato, nisi legendis Protagorae scriptis admiratus ejus ingenium fuisset, non profecto . . . . . fabulam illam de Prometheo et Epimetheo, qua nullam antiqua philosophia elegantiorem magisque philosopham tulit, in sua ipse scripta suscepisset.''

gie de philosophia meruerunt Sophistae, in principalem hominum conditionem investigandi. Habes primos homines, naturâ quidem ad sublimiorem indolem constitutos, sed hac nondum praeditos, non rationis auctoritate sed sensuum impetu ductos. De industria saepius hujus placiti laudem Sophistis conciliamus, quia ad justitiae et vero universae philosophiae historiam unice veram continet introductionem.

3°. Maxime memorabilis est mentio illius societatis, quam absque justitiae notione degustare homines periclitati sunt. Primo loco inde elicitur, quod eam non notionis moralis incitamento nec mutuo studio ducti, verum imbecillitate coacti appetiverunt; 2°. apparet non in ipso congregationis facto speciem quandam justi esse ponendam: referuntur mortales πόλεις κτίζοντες (1), quamvis indigerent iis, sine quibus generaliter acceptis οὐκ ἂν γένοιντο πόλεις (2): eodem licet nomine audientem, Protagoras ab urbe civitatem optime distinguit. Hoc statuendo, quod ipsa hominum congregatio nullam juris notionem supponit, multos, recentiores etiam eosque clarissimos juris naturalis doctores, qui statim de pacto somniarint, longo intervallo post se relinquit. Qui vero laudamus philosophi sententiam, non esse de justo cogitandum, antequam experientia docuisset,

---

(1) Protag. 322. B.
(2) L. c. D.

sine suprema lege, quae mutuas relationes constituat, haud posse unâ vivi, non propterea probamus ipsius conjecturam, iterum discessisse homines in pristinam conditionem, antequam justi et decori notione instruerentur, nisi, quod verosimile duco, eâ hoc voluerit Sophista, vitae rationem indigentem ac ferarum agressioni obnoxiam esse ei praeferendam, quam inter se agant homines, justi notionis expertes.

5°. Quod τὴν Αἰδῶ Jupiter τῇ Δίκῃ adjecerit, quae duae civitatem ornarent ac devincirent, non magnopere est urgendum. Solent veteres eas conjungere (1), et Homerus, ut Eusthatius quidem refert (2), iis omnem constare civitatem judicavit, eo mente, ut *justitia* versetur in pravitatis poena, *pudor* in mali correctione, poenam adsequenti aut hujus metu effectâ. Quod vero Protagoras ad hanc distinctionem non attenderit, vel eo evincitur, quod Αἰδῶς mentio mentioni Δίκης praecedat, quod laudato sensu non oportebat. Omnino de Protagora nimis magnifice quis sentiret, certam tribuens et accurate definitam τῇ Αἰδῷ significationem: si v. g. eo sensu, quo non-

(1) Cff. Cl. den Tex Disp. l. p. 137., doct. Ekker Sp. l. p. 31. sqq. 91. sqq. Conjunctim antiquitus proponebantur tanquam Nemeseos πάρεδροι. Cf. Jacobs Anthol. Gr. II. 347.

(2) Ad Odyss. II. 63. p. 1434. ὅτι νέμεσις κυρίως, ἡ ἐξ ἑτέρων μέμψις πρὸς τὸν κακόν τι πράσσοντα, εἴτε διορθοῖτο ἐκεῖνος, εἴτε καὶ μή· αἰδὼς δὲ, ἡ διὰ νέμεσιν γενομένην πρός τινων εἴτε καὶ ἐλπιζομένην ἐπιστροφὴ καὶ διόρθωσις τοῦ κακοῦ· καὶ εἴτις δὲ ἑαυτῷ διορθῶτο νεμεσῶν, εἰς αἰδῶ ἀποτελευτᾷ.

nunquam occurrunt apud veteres (1), dici justitiam et pudorem suspicaretur, ut illa mutua officia, quae lege praescribuntur, haec reliqua divitum et pauperum, parentum et liberorum aliaque domestica et privata contineat. Non exiguae, opinor, hinc narrationi accessissent laudes. Sed orationis cursus et tota dialogi ratio manifestant verbis *δίκη* et *αἰδὼς*, ipsis ex veteri, ut videtur, fabulâ desumptis, *virtutem*, quae scil. justitiâ et temperantiâ et sanctitate constet, omnem significari (2). Hoc tamen quodammodo excusatur eo, quod proprium orationis consilium nequaquam in civitatis initiis describendis erat collocatum.

6°. Sed aliud est, quod majorem habet reprehensionem. Quum enim Protagoras orationem ad poenam injustitiae memorandam convertere velit, ex cujus videlicet ratione probaret *virtutem posse doceri*, Jovem, postquam Mercurium jusserat omnes homines donare justitiâ ac pudore, insuper legem sancivisse addit, ex quâ omnes, qui earum

---

(1) Eo quidem sensu Ovidius celebratam Hesiodi (vs. 180. sqq.), Theognidis (p. 49. Sylb.) aliorumque querelam, quod *Αἰδὼς* et *Δίκη* homines deseruerint ac redierint in coelum (cf. Gataker. ad Marc. Ant. de Reb. suis V. 33.) Latine expressit Metam. I. 149. sq.

»Victa jacet *Pietas:* et Virgo caede madentes
»Ultima caelestum, terras Astraea reliquit."

Cf. Heroid. IV. 131. Apud Platonem *Αἰδὼς* est, quae non poenae sed pravae existimationis metu justa praecipiat. V. de Rep. V. 465. A. Eutyph. 12. B. Cf. Legg. I. 646. E.

(2) Cf. Protag. 329. B. C.

virtutum participes non esse possent, mortis poenâ afficerentur. Si vero quaerimus, quinam sint isti *μὴ δυνάμενοι μετέχειν αἰδῶς καὶ δίκης*, aperte jam non ii intelligendi sunt, qui institutionis desiderio Divinis donis indigeant. Quantumvis enim postea virtus doceri posset, principio certe secundum ipsam poëtae narrationem nemo ad eam a doctore institutus erat, sed omnes divina ope destinati. Sophistam deprendisse suspicareris: qui quosdam homines alienos esse a virtute judicaverit, non pravâ ingenii educatione, sed corporis constitutione. At minime: ne haec quidem suspicio Protagorae opitulatur: nam infra (1) ex contrariâ ratione disputat et ex eo, quod nemo puniatur ob vitia naturae, sed ob ea sola, quae possint ipsi imputari, principalem sententiam suam copiose defendit. Qualis adeo fuerint *οἱ μὴ δυνάμενοι* cet., et quo jure puniendi, non relinquitur. Protagoras igitur a Socratis objectione explicandâ ad eam diluendam transiens vehementer, et in re gravissimâ quidem, sibi oblocutus est.

(1) Protag. 323. *ὅσα γὰρ ἡγοῦνται ἀλλήλους κακὰ ἔχειν ἄνθρωποι φύσει ἢ τύχῃ, οὐδεὶς ..... κολάζει τοὺς ταῦτα ἔχοντας, ἵνα μὴ τοιοῦτοι ὦσιν· ..... ὅσα δὲ ἐξ ἐπιμελείας καὶ ἀσκήσεως καὶ διδαχῆς οἴονται γίγνεσθαι ἀγαθὰ ἀνθρώποις, ἐάν τις ταῦτα μὴ ἔχῃ, ἀλλὰ τἀναντία τούτων κακὰ, ἐπὶ τούτοις που οἵ τε θυμοὶ γίγνονται, καὶ αἱ κολάσεις, καὶ αἱ νουθετήσεις.* Principio certe justitiam et pudorem vel *contraria ipsorum* tenebant homines neque discendi cura, neque exercitatione, neque assiduitate, verum fortunâ (*τύχῃ*), Deorum nempe dono. Ex ipsa igitur Protagorae disputatione nullus puniendi locus erat.

7°. Attendendum est ad finem poenarum, ex quo disputat Protagoras. »Nemo", inquit (1) »praeteriti sceleris causâ punit, sed futurum respicitur; quisque absterrendi causâ plectit". Omnes hujusmodi quaestiones agitabant Sophistae, et si ab aequalibus sive posterioribus philosophis improbati sunt, praebuerunt certe hisce disceptationibus ansam.

Alia nonnulla in dialogo Platonis, qui Protagorae nomine inscribitur, ipsi adtribuuntur; ita memorabile est, quod non audeat opinionis, quam multos ait homines adseverare, quaeque ab aliis Sophistis acriter propugnata est, patrocinium suscipere (2). Sed nolim, tanquam Protagorea, citare placita, quae ipsi in dialogi vicissitudinibus quasi extorquentur, non vero dubitans, quin recte ad eum referantur ea, quae perpetua oratione expressa sunt.

Certius de Protagora statuere liceret, nisi ejus scripta sive Atheniensium judicio sive temporum invidiâ interiissent. Quod, argumenti nostri habitâ ratione, imprimis de libris *περὶ πολιτείας* et

---

(1) Ib. 324. B. *ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται (οὐ γὰρ ἂν τόγε πραχθὲν ἀγένητον θείη) ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ μήτε αὐτὸς οὗτος, μήτε ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα.... ἀποτροπῆς γοῦν ἕνεκα κολάζει.*

(2) Quod scil. *δοκεῖ ἀδικῶν ἄνθρωπος σωφρονεῖν, ὅτι ἀδικεῖ.* p. 333. B.

περὶ ἀρετῶν dictum sit (1). Ceterum notum est, quantam in civili prudentiâ tradendâ per totam Graeciam sibi famam et auctoritatem conflaverit, tametsi propterea non necesse sit, ut fidem habeamus Diogeni, eum Thuriis leges scripsisse narranti (2).

Gorgias cum Protagora proxime conjungendus est, tum quod ii duo aequalium et posteriorum judicio Sophistarum facile principes habiti sunt: tum quod ille, aeque ac alter fecerat, philosophicae de veri judicio disquisitioni disciplinam quasi superstruxit. In tripartitâ commentatione περὶ τοῦ μὴ ὄντος ἢ περὶ φύσεως (3) haec tria probare suscepit 1°. nihil esse; 2°. etiamsi esset aliquid, percipi non posse; 3°. etiamsi perciperetur, alteri

---

(1) Diog. Laërt. IX. 55. Aristoxenus (Diog. L. III. 37.) et Phavorinus (ib. §. 57.) referunt Platonis Politiam maxime descriptam fuisse ex Protagorae *Libris Contradictoriis*, quos meminit idem Diog. IX. 54. E Protagorae *Politia* descriptam, Diogenis testimonio minus accurate adhibito, refert Cl. Heusdius Init. Ph. Pl. T. II. P. III. p. 150.

(2) Sumpsit Diog. ex Heraclidis Pontici libris περὶ νόμων Vid. IX. 50. — Acute conjicit Cl. Geel. p. 77. pro Protagora esse intelligendum Pythagoram, quorum nominum similitudo sive Heraclidis sive Diogenis sive cujusvis alius errori ansam dederit. — V. tamen Cl. Richter n. 79. ad Fabric. Bibl. Gr. 1. 549. (II. 38. Harles.).

(3) Arist. de Gorg. Sext. Emp. VII. 65. sqq. Aristotelis libellum, valde corruptum, non satis adhibuerunt viri docti; nuper autum (A°. 1828) in l. Comm. de Gorg. Leont. illum denuo editum interposuit, emendavit et explicavit doct. Foss. p. 110. sqq.

tradi non posse (1). Quamvis hoc placitum, quod idem Protagoreo objicitur (2), se ipsum tollere videatur (3), eo tamen firmavit disciplinae suae rationem, quae non in docendo, quid verum, quid falsum, quid justum, quidve injustum sit, versabatur, sed in praecipienda arte, quâ quis optime, imprimis in publicis judiciis aliis persuadere possit (4). Veri enim judicio sublato, non multum virtuti relinquitur: et ex hac disciplinae moralis subversione explicandum est, quod opi-

---

(1) Arist. d. l. p. 1248. Οὐκ εἶναι φησιν οὐδέν· εἰ δ᾽ ἔστιν, ἀγνωστὸν εἶναι· εἰ δὲ καὶ ἔστι, καὶ γνωστὸν, ἀλλ᾽ οὐ δηλωτὸν ἄλλῳ (pro ἄλλῳ recte Lips. habet ἄλλοις. cf. Foss.); quo loco minus recte Cl. Geel. p. 36, secundum καὶ esse delendum censere mihi videtur. Equidem delerem potius ἀλλ᾽, ex subsequenti ἄλλοις, ut videtur, repetitum.

(2) Plato Euthyd. 286. C. Theaet. 179. A.

(3) V. Tennemann. T. I. p. 364.

(4) Plat. Gorg. 452. D. sqq. et passim. Quamvis, ut supra diximus, neque Athenaei (L. XI. p. 505.) testimonium neque recentiorum dubitatio nos permoveant, ut Platoni, Sophistarum sententias tradenti, fidem detrahamus, non tamen diffitemur, eum saepe ac imprimis in hoc Dialogo, illis, in defendendis iis sententiis, parum ingenii tribuere: ita ut Gorgias h. l. non solum levissima ratione provinciam suam tueatur, sed ne primas quidem inter praesentes Sophistas disputandi partes retineat. Ob continuam sermonis acerbitatem, quae universum dialogum dominat et Platonicam allusionem ad Socratis judicium, Cl. Astius conjicit (Leben und Schr. des Plat. p. 135. sqq.) hujus judicii tempore *Gorgiam* esse conscriptum. V. autem Stalbaum Prol. ad Gorg. p. 24. Socher über Plat. Schr. p. 241. Quod certe Cl. Astius erret p. 137. sqq. in tempore definiendo, quo colloquium fictum esse habetur, satis probasse videtur doct. N. J. Sybrandi Diss. Litt. de Plat. Gorgia. 1829. p. 3. sqq.

mus quisque, quod sibi utile videatur, aliis persuadere conetur. Gorgias tamen, pariter ac reliqui antiquiores Sophistae, quae e doctrina sua necessario profluebant, non ita publice profiteri audebat, a discipulis suis hac in re longe superatus (1); institutionemque suam praecipue circa justa et injusta versari perhibebat (2). Sententias tamen hoc de argumento ipsius proprias non repertas habemus. Sed hoc non praetermittendum puto, quod Gorgias, quatenus de rebus moralibus disputarit, novam plane viam ingressus esse videtur: quippe, generalem virtutis notionem respuens, derideret eos, qui virtutem docere se gloriabantur (3). Varias esse virtutes statuit, non ratione *objecti*, in quo versetur, sed *subjecti*, cui attribuitur virtus. Ita v. c. alia viri, alia feminae, alia liberorum justitia est (4): nulla virtutis

(1) Gorg. 461. B. 482. C. D. ἔφη (Πῶλος) γάρ που Γοργίαν, ἐρωτώμενον ὑπὸ σοῦ ἐὰν ἀφίκηται παρ' αὐτὸν μὴ ἐπιστάμενος τὰ δίκαια ὁ τὴν ῥητορικὴν βουλόμενος μαθεῖν, εἰ διδάξει αὐτὸν ὁ Γοργίας, αἰσχυνθῆναι αὐτὸν, καὶ φάναι διδάξειν· διὰ τὸ ἔθος τῶν ἀνθρώπων, ὅτι ἀγανακτοῖεν ἂν εἴ τις μὴ φαίη. Cf. 487. A. B. 492. D.

(2) Gorg. 454. B.

(3) Plat. Meno 95. C.

(4) Meno 71. E. sqq. A Socrate interpellatus, ut universae virtutis definitionem praestet, plus semel Meno hoc conatur, sed erroris convincitur. Non tamen inde cum Cl. Geel p. 46. colligo »Dialogi hunc esse finem, ut ostendatur, in eo errare Sophistas, quod de quibusvis rebus disputationem instituerent, quarum tamen non satis accuratam, nedum omnibus numeris absolutam definitionem posuissent; unde sequeretur, ut de rerum par-

disciplina certis quibusdam praeceptis absolvitur, verum varia praecipit pro variâ, qua quisque utitur, conditione. Aristoteles laudat Gorgiae rationem, eamque ad civitatem adplicat, adserens falli ipsos, qui e generali notione (καθόλου) definiant virtutem (1).

Prodicus quamvis de virtute non sine laudibus declamitaverit (2), de justitiae natura atque indole, quantum novimus, nihil perscrutatus est, quod dolendum arbitramur, quo magis veram verborum significationem disputationi praemittendi studium (3) atque de religionis origine non contem-

particulis obiter et copiose loquerentur, nunquam vero earum originem et fundamenta indagarent." Gorgias enim, ad quem pertineret hacc reprehensio, non negligenter omisisse sed de industria recusasse talem definitionem existimandus est: quae enim a Menone sub Gorgiae nomine exhibetur p. 73. C, ex sequenti loco p. 76. B. apparet non ipsi esse adjudicanda: quin ex laudato ejusdem Menonis testimonio p. 95. C. manifestum est, Gorgiam, utpote virtutis doctrinam nequaquam profitentem, hanc generali definitione nunquam significasse. Hoc denique perfecte confirmat Aristotelis locus, mox excitandus.

(1) Arist. Polit. I. 13. p. 311.

(2) Celebris est et multos imitatores nacta Prodici fabula de Hercule in trivio sedente, quam exponit Xenoph. Mem. II. 1. 21—34. Declamatio de vitae miseriis inserta est Axiocho, in Plat. opp. p. 366. C. sqq. T. III. Cf. Geel p. 134. sqq.

(3) Euthyd. 277. E. Videtur tamen hoc studium latius protraxisse, quam oportebat et ridiculo more in quovis sermone ostentasse. Alias non in repetitam Socratis reprehensionem, quae tum in toto Cratylo inëst, tum aliis locis, imprimis Protag. 337, jocose significatur, incidisset: quandoquidem ipse Socrates nihil studiosius sectabatur, quam rerum, de quibus tractandum esset, accuratam definitionem.

nenda vox (1) haud vulgare Sophistae ingenium probent.

Pariter Hippias, arrogantiâ eximie Sophista (2), temere aut insolenter de virtute ac justitiâ dictis non adeo innotuit: at de his, uti de omni quacunque re, pulcre declamandi laudem affectavit. Quum aliquando, praesente Socrate, qui non esse, quo quis abiret mitteretve filium justi discendi gratiâ, querebatur, se eum esse, qui de justitiâ dicere posset, quibus nemo non suffragaretur, gloriatus esset, rogavit ipsum Socrates, ut mirabilem istam sententiam explicaret (3). Quod cum facere pollicitus esset, postquam suam mentem declarasset Philosophus, oritur disputatio de δικαίῳ, quod idem esse ac νόμιμον Socrates statuebat. Hippias in civitatis legibus nihil aliud deprehendit, quam consensum civium, circa ea, quae facienda et ea, quae omittenda essent (4).

---

(1) Ut divinae cognationi ex fabulae suae ratione Protagoras Prot. 322. A.; ita animi grati sensui Deorum primam notitiam tribuit Prodicus. Sext. Emp. IX. 18. *Πρόδικος δὲ ὁ Κεῖος Ἥλιον, φησι, καὶ Σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ κρήνας καὶ καθόλου πάντα τὰ ὠφελοῦντα τὸν βίον ἡμῶν, οἱ παλαιοὶ θεοὺς ἐνόμισαν, διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφελείαν· καθάπερ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον.* sqq. Cf. §. 39, 51. Cic. de N. D. I. 42. Sophistae universe parum magnifice de Deis statuebant. V. Plato de Rep. X. 889. E.

(2) Cf. Hipp. Maj. 281. A. 286. A. Hipp. min. 363. C. D. 368. B. sqq. Cic. de Or. III. 12.

(3) Xenoph. Memor. IV. 4. 5—8.

(4) Ib. §. 13. *ἃ οἱ πολῖται συνθέμενοι, ἅ τε δεῖ ποιεῖν καὶ ὧν ἀπέχεσθαι, ἐγράψαντο.* Cff. quae hac de re Alcibiadi Pericles respondisse affirmatur Memor. I. 2. 42.

Socrates quaerens, nonne *νόμιμος* i. e. qui legibus obedit, juste agat, callide magis quam vere ex Hippiae affirmatione evincit *δίκαιον* et *νόμιμον* idem esse. Dein objicienti Hippiae ab ipsis saepe auctoribus leges mutatas, Socrates ita respondet, ut potius utilitatem, ex stabili legum auctoritate oriundam, commendet, quam refutet adversarii oppositionem; tandem, ut probet Diis placere, ut idem sit justum ac legitimum, quaestionem verius proponit et ad leges eas provocat, quae, etsi non scriptae, ubivis eandem vim obtineant (1). Has fatetur Hippias Diis deberi: quod enim v. c. Deos venerari deceat, apud omnes homines primum habetur (2). Hoc criterium, quo dignoscatur superior illarum legum natura, quod scil. *apud omnes homines* colantur, quodque Cicero (3) postea expressit »omni in re consensionem omnium gentium esse legem naturae putandam", acerrime tenet Hippias et strictius quidem, quam ipse Socrates voluit: negat enim, quae parentes liberis misceri prohibeat, Divinam ejusmodi legem esse: quippe quam multi praetergrediantur. Tandem tamen, quod Divina lex esse appareat ex poena, quâ detrectatores ipsi Dii prosequantur, efficit, ut,

---

(1) §. 19. *ἀγράφους δέ τινας οἶσθα, ἔφη, ὦ Ἱππία, νόμους; τούς γ᾽ἐν πάσῃ, ἔφη, χώρᾳ κατὰ ταυτὰ νομιζομένους.*

(2) Ib. *ἐγὼ μὲν, ἔφη, θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι. καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται τὸν θεὸν σέβειν.*

(3) Tusc. I. 30.

Xenophonte (1) quidem auctore, persuasus a Socrate discedat. Quidquid sit, apud Platonem (2) etiam, communem Sophistarum morem sequitur, et in φύσει a νόμῳ distinguenda mirifice sibi placet.

Jam principes Sophistas mittimus, verum eo consilio, ut accuratius persequamur ipsorum disciplinam. Donec enim priscae religionis ac virtutis non omnia vestigia deleta erant, placita ea, quae apertius omnem societatis rationem subvertebant, quamvis ex doctrinâ suâ profecta, non palam ad se audebant referre auctores: sed simulac populare ingenium nova ista sapere inciperet, et quae modo festive proferrentur, avide accipere, nullo retinebantur amplius pudore, quominus universam suam doctrinam publice profiterentur. Hac in re causa posita est, quod praecipua eaque perniciosissima placita non principum Sophistarum auctoritate sed ignobili discipuli cujusdam vel auditoris nomine ad nos pervenerint. Ita etiam placita de justo, de quibus mox videbimus, Polo et Callicli et Thrasymacho et innumeris aliis (3), quorum opinionem defendunt Glauco et Adimantus, tribuuntur auctoribus (4), quo-

(1) L. c. §. 25.
(2) Protag. 337. Cf. Heindorf. Ann. p. 560.
(3) Plato. Rep. II. 358. C.
(4) Poli et Calliclis disputatio legitur in Plat. Gorgia, Thrasymachi, qui aliquam famae celebritatem, praesertim in arte oratoria, adeptus est (cf. Cl. Geel. o. l. p. 201. sqq.), in primo libro de Rep., Glauconis et Adimanti in secundo.

rum memoriam unica fere Platonis reprehensio ab oblivione servavit.

Est quodammodo verum, quod affirmari solet, non certa disciplinâ comprehendi sed sparsis undique sententiis constare, quae perhibentur Sophistarum opiniones de virtute. Si tamen interius rem inspicias, commune vinculum deprehendas necesse est, quo egregie conjunguntur, ita ut, licet ab ipsis exhibitam desideres formam Systematicam, haec non inepte possit eorum doctrinae accommodari. Age, in iis, quae de justitia protulerunt, faciamus virium nostrarum periculum: res eo majoris momenti est, quod penes Sophistas de universâ virtute quaestio non solum conjuncta erat cum quaestione de justo, verum ab hac prorsus pendebat. Platonis igitur, ex quo haec haurienda sunt, non integra recensebimus testimonia, at mutuo comparatis indagare conabimur, quid Sophistae statuerint de his quaestionibus:

1°. Utrum quod perhibetur, idem naturâ justum sit?

2°. Nisi hoc admittatur, unde sit repetendum?

3°. Quid autem ipsa natura justum esse doceat?

4°. Utrum, lege an naturâ justum, praeferri debeat?

1°. Suo loco de Religionis et Juris Constituti efficacia in universam justi notionem monuimus: quae eam vim habuit, ut omnia, quae leges ju-

bebant, quasi ab ipsâ naturâ praecipi existimarentur. Causas etiam recensuimus, quibus effectum est, ut paullatim ea legum reverentia sit imminuta. Attamen distinctio solida inter ea, quae humano ingenio eaque quae naturae debentur, nulla agnita erat; et mirari oportet in acutissimorum philosophorum disputationibus hanc quaestionem adeo esse turbatam. Erat jam aliquid, quod Archelaüs eam distinctionem attigisset: sed universe statuerant philosophi, talia esse politicis relinquenda; et si sive leges laturi sive civili quodam munere functi aliquid hac in re praestare potuerant, consecrare tutius quam adoriri duxerant veterem istam legum religionem.

Hoc vero tempore, quo novam quisque civitatis ordinationem somniaret, Sophistae, qui cum republicâ conjungebant philosophiae speciem, nihil acceptius proferre poterant, quam quae omnem naturalem legibus vim adimeret, theoriam; qua scil. probata nihil sanctum, nihil inviolatum relinqueretur. Principes Sophistae non ulterius progredi ausi sunt, quam quod affirmarent, alia lege praecipi, alia naturâ. Jam ista sententia, de cujus veritate nemo nostris temporibus ambigit, quam periculosa habita sit, probat vel ipsius Socratis oppositio, qui tum in memorato colloquio cum Hippia, tum in universâ fere cum Sophistis confabulatione sublimiorem juris constituti indolem tuetur. Verum illi Sophistae, quos consilium suum apertius patefacere non pudebat, non *distinguere* solum le-

gem et naturam, verum sibi invicem *opponere*, et ex hac oppositione evincere conati sunt, omnia, quae legibus jubeantur, naturae esse adeoque veritati incongrua (1). Leges autem non speciali sensu intelligebant, sed omnia, quae justa habentur, sive diserte praescripta sint, sive hominum commercio propagata, sive tandem pravae existimationis metu comprobata (2). Universam itaque tollebant justitiam, quae ab hominibus colebatur, aliam et maxime diversam ipsius loco substituturi.

2°. Quum igitur vulgari justi notioni naturalem abjudicarent originem, explicandum erat, unde esset nata et qua ratione talem nacta tantamque auctoritatem. Supra jam diximus ex Sophistarum opinione justitiam esse inventum imbecilliorum hominum, quo fortiores naturali injuriam inferendi facultate destituantur. Audiamus Calliclem, qui nullo pudore se retineri gloriatur, quo minus proprias disciplinae suae sententias proferat (3). *Ἀλλ', οἶμαι, οἱ τιθέμενοι τοὺς νόμους οἱ ἀσθενεῖς ἄνθρωποί εἰσι καὶ οἱ πολλοί. Πρὸς αὑτοὺς οὖν καὶ τὸ αὑτοῖς συμφέρον τούς τε νόμους τίθενται καὶ τοὺς ἐπαίνους ἐπαινοῦσιν καὶ τοὺς ψόγους ψέγουσιν, ἐκφοβοῦντές τε τοὺς ἐῤῥωμενεστέρους τῶν ἀνθρώπων καὶ δυνατοὺς ὄντας πλέον ἔχειν, ἵνα μὴ αὐτῶν πλέον ἔχωσι, λέ—*

(1) Gorg. 482. E. ὡς τὰ πολλὰ δὲ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν, ἥ τε φύσις καὶ ὁ νόμος. Legg. X. 889. D. E. — οὕτω δὲ καὶ τὴν νομοθεσίαν πᾶσαν οὐ φύσει, τέχνῃ δέ, ἧς οὐκ ἀληθεῖς εἶναι τὰς θέσεις.

(2) νόμον τε καὶ λόγον καὶ ψόγον. Gorg. 492. B. cf. 483. B. —

(3) Gorg. 483. E. 487. D. E. 491. E. 492. D.

γουσιν, ὡς αἰσχρὸν καὶ ἄδικον τὸ πλεονεκτεῖν, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἀδικεῖν, τὸ πλέον τῶν ἄλλων ζητεῖν ἔχειν· ἀγαπῶσι γὰρ, οἶμαι, αὐτοὶ ἂν τὸ ἴσον ἔχωσι φαυλότεροι ὄντες. Διὰ ταῦτα δὴ νόμῳ μὲν τοῦτο ἄδικον καὶ αἰσχρὸν λέγεται, τὸ πλέον ζητεῖν ἔχειν τῶν πολλῶν, καὶ ἀδικεῖν αὐτὸ καλοῦσιν (1). Hanc communem Sophistarum doctrinam de justi origine fuisse, patet tum ex totius Dialogi ratione, tum ex iterata justitiae vituperatione, quod scil. meliorem subjugat naturam, tum praesertim ex ipsorum justi naturalis definitione. Hoc maximum vitium in ista doctrina deprehenditur, quod quomodo ab imbecillioribus fortiores cogi potuerint ad legis imperium agnoscendum, non explicetur: sponte tamen eos ab injuriâ inferendâ non abstinuisse, ipse Callicles manifestum esse judicat (2). Quâ ratione per totum terrarum orbem potentiam eam atque auctoritatem justitia assecuta esset, si tot hominibus iisque excelsioribus non conveniret? Neque ex hac quidem difficultate facile se extricare potest Sophistarum doctrina. Si enim legum fortioribus imponendarum facultatem ab eo Callicles repetit, quod οἱ ἀσθενεῖς simul οἱ πόλλοι sunt, in duplicem incidit animadversionem: primam, Socraticam (3), quod sibi Sophista obloquatur: si certe fortioris jus verum jus est, et si οἱ πόλλοι sunt quovis singulo homine fortiores, tunc quod οἱ πόλλοι volunt, jus-

(1) Gorg. 483. B. C. Cf. 492. A.
(2) Gorg. 492. B. Cf. Rep. II. 366. C.
(3) Gorg. 488. D. — 489. B.

tum est adeoque ipsa lex justa; alteram, quod civitatem supponit, antequam haec imbecilliorum voluntas sit omnibus obtrusa, vel, quod idem est, ante ullum jus constitutum.

Hoc de jure orto judicium secundum multorum Sophistarum sententiam refert etiam Glauco et ille quidem accuratâ ac subtili ratione, qua de universâ eorum doctrinâ exponit. *Πεφυκέναι γὰρ δή φασι τὸ μὲν ἀδικεῖν ἀγαθόν, τὸ δὲ ἀδικεῖσθαι κακόν, πλέονι δὲ κακῷ ὑπερβάλλειν τὸ ἀδικεῖσθαι ἢ ἀγαθῷ τὸ ἀδικεῖν· ὥστ' ἐπειδὰν ἀλλήλους ἀδικῶσί τε καὶ ἀδικῶνται καὶ ἀμφοτέρων γεύωνται, τοῖς μὴ δυναμένοις τὸ μὲν ἐκφεύγειν, τὸ δὲ αἱρεῖν, δοκεῖ λυσιτελεῖν ξυνθέσθαι ἀλλήλοις μήτε ἀδικεῖν, μήτε ἀδικεῖσθαι· καὶ ἐντεῦθεν δὴ ἄρξασθαι νόμους τίθεσθαι καὶ συνθήκας αὑτῶν, καὶ ὀνομάσαι τὸ ὑπὸ τοῦ νόμου ἐπίταγμα νόμιμόν τε καὶ δίκαιον* (1). Observetis enim ex generali magis et pluribus hominibus convenienti principio justitiam deducere, quamvis ad imbecillitatem referantur aeque omnia. Ex hoc exordio primitivam depromit hujus juris indolem. *καὶ εἶναι δὴ ταύτην γένεσίν τε καὶ οὐσίαν δικαιοσύνης, μεταξὺ οὖσαν τοῦ μὲν ἀρίστου ὄντος, ἐὰν ἀδικῶν μὴ διδῷ δίκην, τοῦ δὲ κακίστου, ἐὰν ἀδικούμενος τιμωρεῖσθαι ἀδύνατος ᾖ· τὸ δὲ δίκαιον ἐν μέσῳ ὂν τούτων ἀμφοτέρων ἀγαπᾶσθαι οὐχ ὡς ἀγαθόν, ἀλλ' ὡς ἀῤῥωστίᾳ τοῦ ἀδικεῖν τιμώμενον* (2).

---

(1) Rep. II. 358. E. 359. A.

(2) Rep. II. 359. A. B.

3°. Quid autem ipsa natura docet esse justum? — Sophistae nunquam perhibuerunt non esse justitiam, quae naturâ doceatur, et quandocunque justitiam impugnarint, eam habuerunt ante oculos, quae existimetur vulgari hominum opinione. Propriam sibi habebant, quam eodem pergebant nomine insignire, ex verâ, ut opinabantur, naturae ratione ductam. Dabimus ipsa Calliclis verba, quae nullo commentario indigent: *ἡ δέ γε, οἶμαι, φύσις αὐτὴ ἀποφαίνοι ἄν, ὅτι δίκαιόν ἐστι τὸν ἀμείνω τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν καὶ τὸν δυνατώτερον τοῦ ἀδυνατωτέρου. Δηλοῖ δὲ ταῦτα πολλαχοῦ, ὅτι οὕτως ἔχει, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ τῶν ἀνθρώπων ἐν ὅλαις ταῖς πόλεσι καὶ τοῖς γένεσιν, ὅτι οὕτω τὸ δίκαιον κέκριται, τὸν κρείττω τοῦ ἥττονος ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν. Ἐπεὶ ποίῳ δικαίῳ χρώμενος Ξέρξης ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐστράτευσεν, ἢ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς Σκύθας; ἢ ἄλλα μυρία ἄν τις ἔχοι τοιαῦτα λέγειν. Ἀλλ', οἶμαι, οὗτοι κατὰ φύσιν τὴν τοῦ δικαίου ταῦτα πράττουσι, καί, ναὶ μὰ Δία, κατὰ νόμον γε τὸν τῆς φύσεως· οὐ μέντοι ἴσως κατὰ τοῦτον, ὃν ἡμεῖς τιθέμεθα....... Ἐὰν δέ γε, οἶμαι, φύσιν ἱκανὴν γένηται ἔχων ἀνήρ, πάντα ταῦτα ἀποσεισάμενος......... καὶ νόμους τοὺς παρὰ φύσιν ἅπαντας, ἐπαναστὰς ἀνεφάνη δεσπότης ἡμέτερος ὁ δοῦλος, καὶ ἐνταῦθα ἐξέλαμψε τὸ τῆς φύσεως δίκαιον* (1). Provocat deinde ad testimonium Pindari, verborum

(1) Gorg. 483. C. D. E. 484. A. Cf. 488. B.

sententiam callide calumniatus (1). Dicebant praeterea omni communi vitâ doctrinam suam confir-

---

(1) Gorg. 484. B. Cff. Valcken. ad Herod. III. 38. Schneider Carm. Pind. fragm. p. 107. sqq. Ast. ad Legg. III. Ann. p. 171. et inprimis Böckhius ad fragm. Pind. 151. (48) p. 640. sqq., qui totum locum Pindaricum ex Schol. ad Aristid. (II. 52.) restituit. Sed, ut, pariter ac Callicles, παῤῥησιαζόμενος loquar, non plane satisfecit mihi virorum doctorum explicatio, quae νόμον h. l. voluit de lege naturali usurpari. Νόμος enim in Sophistarum ore semper peculiarem aliquam habet significationem, φύσει oppositam. Medelam adhibere conatus est Cl. Böckhius legendo (coll. Gorg. 488. B, Legg. III. 690. C, IV. 714. E.) ὅτι κατὰ φύσιν νόμος cet. Sed quamvis non putaverim cum doct. de Geer Diatr. in Polit. Plat. p. 22. κατὰ φύσιν h. l. esse minus poëticum, credo tamen hanc dictionem κατὰ φύσιν νόμος de jure fortioris usurpatam, a Poëtarum, qui ante Sophistas vixerunt, notionibus nimis alienam esse, quam ut, reliquis poëtis inusitata, qui semper νόμον et βίαν invicem opponunt, Pindari fragmento hac ratione restituatur. Tum ubivis ad Pindari dictum, ὅτι νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, vel ab ipso Platone (cf. Protag. 337. D. Symp. 196. C.) alluditur, illud accipitur de jure constituto. Praeterea non solum non conveniret sed abhorreret quam longissime a Sophistarum opinione, quod lex naturalis vocaretur regina omnium: quippe qui semper quererentur, quod naturâ justum (τὸ δίκαιον φύσει dicere solebant) nullum fere habet imperium, dum νόμος omnes cogat ad vitam naturae repugnantem et omnia regat. Aperte denique praecedentibus opponuntur quae sequuntur verba οὗτος δὲ δή. Res probabiliter videtur expedienda, si Böckhii medelâ aliâ ratione applicatâ (simile quid quod ad verborum, non sententiam, sed positionem, ipse vir Cl. olim proposuit de Men. et Legg. p. 178, probarunt Cll. Ast. ad Legg. p. 171, Stalbaum. ad h. l., alii) legatur: νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων· οὗτος δὲ δὴ κατὰ φύσιν, (scil. νόμος, deleto verbo φησὶν, propter similitudinem

mari: justum enim, quod perhibeatur, neminem facere nisi invitum, et simulac suppetat facultas, injustitiam quemque venari (1). Qualis doctrina moralis relinquebatur, in aperto est. Ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶ, inquit idem Callicles, τὸ κατὰ φύσιν καλὸν καὶ δίκαιον, ὃ ἐγώ σοι νῦν παῤῥησιαζόμενος λέγω, ὅτι δεῖ τὸν ὀρθῶς βιωσόμενον τὰς μὲν ἐπιθυμίας τὰς ἑαυτοῦ ἐᾷν ὡς μεγίστας εἶναι καὶ μὴ κολάζειν, ταύταις δὲ ὡς μεγίσταις οὔσαις ἱκανὸν εἶναι ὑπηρετεῖν

e vera lectione nato) ἄγει cet., ita ut κατὰ φύσιν νόμος propterea exquisite a poëtâ nominetur, ut illam νόμῳ vulgo sic dicto opponat, »legem (constitutam) omnium (quidem) mortalium et immortalium esse reginam (receptam), illam vero (legem), quae naturae rationem sectatur, praepotenti manu justum efficere, quod violentissimum est (ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον scripsit Pindarus: cff. interpr.; an Plato scripserit, dubito, qui non exagitasset Sophistam versus citantem et in medio versu haerentem, nisi sibi proposuisset bonam Sophistarum fidem hac in re in discrimen vocare. Themisthius etiam in Or. XX. p. 235. Hard. Sophistas sui temporis objurgat, quod verba mutabant, quae ex aliis auctoribus desumpta recitabant). Unicam difficultatem habet Schol. ad Pind. Nem. IX. 35, qui versus nostros sic citat: νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν καὶ ἀθανάτων ἄγει δικαιῶν τὸ βιαιότατον ὑπερτάτᾳ χειρί; sed fieri potest, scholiastem versus paullo intervallo distinctos conjunxisse, ut assimilem Pindari sententiam citaret ei, quae illo loco occurrit; quod intervallum sive sincere, ipsis poëtae verbis, sive dolose, suae menti accommodatis, verbis (οὗτος δὲ δὴ κατὰ φύσιν) explevit Sophista: prius tamen credere malim, ut supra dixi: sed utroque casu videtur haec lectio praeferenda. Sententiam autem, quam exhibet, confirmat Pindaricus locus cit. Nem. IX. 35. »κρέσσων δὲ καππαύει δίκαν τὰν πρόσθεν ἀνήρ''; et quem alterum huc citavit Schol. et laudavit Böckh. »ὁ δὲ ἰσχυρὸς ἀνὴρ τὸ προϋπάρχον δίκαιον καταπαύει''.

(1) Rep. II. 366. D.

δι' ἀνδρείαν καὶ φρόνησιν, καὶ ἀποπιμπλάναι, ὧν ἂν ἀεὶ ἡ ἐπιθυμία γίγνηται (1), et paulo post τρυφὴ καὶ ἀκολασία, καὶ ἐλευθερία, ἐὰν ἐπικουρίαν ἔχῃ, τοῦτ' ἐστὶν ἀρετή τε καὶ εὐδαιμονία, τὰ δὲ ἄλλα ταῦτ' ἐστὶ τὰ καλλωπίσματα, τὰ παρὰ φύσιν συνθήματα, ἀνθρώπων φλυαρία καὶ οὐδενὸς ἄξια (2).

Attendite, quam contraria sit haec justi notio ei, quam Graeci colere solebant. Graeci et inprimis Athenienses justum ne cogitare quidem poterant, ab aequali secretum. Hanc aequalitatem diserte adoriuntur Sophistae et naturae repugnare contendunt: πλεονεξίαν enim πᾶσα φύσις διώκειν πέφυκεν ὡς ἀγαθόν, νόμῳ δὲ καὶ βίᾳ παράγεται ἐπὶ τὴν τοῦ ἴσου τιμήν (3). Novo hoc argumento sit primarium disputationis fuisse consilium, ut populo adulandi gratia, infringerent juris civilis auctoritatem.

4°. Utrum, naturâ an lege justum, praeferendum est? Quod ex Sophistarum sententiâ naturâ justum, fortiorum imperio superstructum, palmam tulerit, manifesto sequitur: tulit autem duas ob causas, quarum prior posita est in praestantiori illius juris indole, posterior in majore, quam affert, utilitate.

Praestantior indoles in eo spectatur, quod solam assectetur veritatem, dum alterum jus vanis figmentis et falsis opinionibus meliorem nostram naturam ab incunabulis inde supprimit servilemque in mo-

(1) Gorg. 491. E. 492. A. E.
(2) Gorg. 492. C.
(3) Rep. II. 359. C. Cf. Gorg. 483. C.

dum subjugat (1). Hanc juris commentitii indolem speciosa oratione explicat Thrasymachus, de quâ, quo rectius statuatur, paucis videndum est. Notissima quippe est et ab iis, qui de flagitiosis Sophistarum sententiis exponere gestiunt, excitari solita Thrasymachea *justi* definitio: *εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον* (2). Sed vehementer metuo, ne inepte prorsus accipi soleat. Multi enim interpretes suspicari videntur, his verbis Thrasymachum, quid vere justum esse sibi videatur, declaravisse, pariter ac Callicles suam hac de re sententiam exposuerit supra citatis verbis *δίκαιόν ἐστι τὸν ἀμείνω τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν, καὶ δυνατώτερον τοῦ ἀδυνατωτέρου.* Sed gravi labuntur errore, inde oriundo, quod Sophistae, quamvis justitiam, quae vulgo dicitur, negarent, eam disputandi opportune gratiâ *justitiam* vocare pergebant; ita ut difficile sit, at vero necessarium, accurate distinguere, ubi *justum* dicant, utrum de justo, cujus impugnent, an de justo, cujus defendant notionem, habeatur sermo. Neque profecto mirum est recentiores in idem vitium incidisse, quod neque immerito jam Socrati exprobravit Callicles (3),

---

(1) Gorg. 483. E. *οὐ μέντοι ἴσως κατὰ τοῦτον* (*νόμον* scil.), *ὃν ἡμεῖς τιθέμεθα πλάττοντες τοὺς βελτίστους καὶ ἐῤῥωμενεστάτους ἡμῶν αὐτῶν ἐκ νέων λαμβάνοντες ὥσπερ λέοντας καὶ κατεπᾴδοντές τε καὶ γοητεύοντες καταδουλούμεθα.*

(2) Rep. I. 338. C.

(3) Gorg. 483. A. Cf. omnino Arist. de Soph. Elench. L. I. C. 12. p. 295.

et a quo ne ipsi quidem Sophistae immunes manserunt. Hinc, quamvis ipsi aliquid haberent, quod tanquam justum colerent, injustitiae laus, justitiae vituperium; hinc disputatio Socratem inter et Sophistas saepissime confusa et impedita, ut obtundaris, quam persuadearis potius. Thrasymachi autem consilium non fuit, Sophistarum opiniones explicare de eo, quod revera justum est, sed indicare voluit, quid proprie esset ista adeo jactata justitia, de cujus verâ notione Socrates cum amicis colloquium instituerat. Ut bene intelligamus ejus mentem, dixisse eum fingamus »*Vestra ista justitia* nihil aliud est, quam quod potentiori conducit": Socraticam scil. justitiam, quae in legum obedientia posita erat (1), rite definiendo, suspectam reddere conatur. Uberius suam sententiam ita fere explicat: In quacunque civitate, quaecunque sit ejus forma, potentiores leges dant; quod autem leges dantes suam spectent utilitatem, in aperto est: quum vero justus habeatur, qui legibus obtemperat, sequitur justitiam versari in iis, quae potentiorum usui conveniant (2). Eo sensu justi definitio a Thrasyma-

(1) Rep. I. 339. B.

(2) Rep. I. 338. D. E. 339. A. Cf. 343. B. Eandem argumentationem adoritur Athen. Hospes Legg. IV. 714. C. D., ibique queritur datam illam justitiae definitionem a nonnullis perhiberi τὸν φύσει ὅρον τοῦ δικαίου, *naturalem justi definitionem*. Ex Arist. Nicom. V. 3. p. 59 et 10. p. 67, qui sententiam paullo aliter explicat, apparere mihi videtur, eam non Thrasymachi fuisse propriam, sed communiter fere tunc temporis receptam. — Cf. etiam Eurip. Heracl. vs. 1—6.

cho prolata debet accipi, ut cum reliquâ ejusdem disputatione quadret; eo sensu justitia vocatur *alienum bonum* (ἀλλότριον ἀγαθόν) (1), eo sensu valde generosa stultitia (πάνυ γενναία εὐήθεια) (2). Patet igitur plane diverso immo contrario sensu intelligi debere Thrasymachi et Calliclis definitiones.

Secundo loco utilitatis ratione comdemnari Sophistae vulgarem justi notionem perhibebant. Erat haec quaestio omnium maximi momenti propter proximam antiquae philosophiae moralis et felicitatis cognationem. Ipse etiam Socrates, a cujus praeceptis Ethicis nunquam aberat utilitatis ratio, apud Platonem de singulari hujus quaestionis gravitate diserte pronuntiat (3). Quaerentes igitur Sophistae, utrum justum an injustum (quocum ipsorum *justitia*, fortiorum arbitrio fundata, fere convenit) majores fructus ferat, rem supponebant *per se* esse indifferentem; eamque talem haberi ab ipsis adversariis suis, probabant eo, quod hi nonnisi emolumentis, quae praebet justitia, eam commendent (4). Qui adeo injustitiam laudabant tanquam utiliorem, sed eandem confitebantur esse per se turpio-

(1) Rep. I. 343. C. II. 367. C. Cf. IX. 590. D.
(2) Rep. I. 348. D. Cf. II. 360. D.
(3) Gorg. 472. C. καὶ γὰρ καὶ τυγχάνει, περὶ ὧν ἀμφισβητοῦμεν, οὐ πάνυ σμικρὰ ὄντα, ἀλλὰ σχεδόν τε ταῦτα, περὶ ὧν εἰδέναι τε κάλλιστον, μὴ εἰδέναι τε αἴσχιστον. Τὸ γὰρ κεφάλαιον αὐτῶν ἐστιν, ἢ γιγνώσκειν ἢ ἀγνοεῖν, ὅστις τε εὐδαίμων ἐστὶ καὶ ὅστις μή. Cf. Xenoph. Mem. I. 1. 16.
(4) Rep. II. 362. E. sqq.

rem (1), existimandi sunt externâ pudoris specie, quae vere sentiebant, reticuisse, et hoc nomine merito ab ipsorum commilitonibus impugnabantur (2).

Quod vero injustus homo multo felicior est, quam justus, hoc eorum vitis mutuo comparatis evincere studebant (3). Maxime autem felix ille evadit, qui juste agat juxta Sophistarum sententiam, quique, si sufficiant vires ad explendas cupiditates, has nullo freno contineat: in perpetuâ enim earum affectione et expletione felicitas collocata est (4). Hoc notandum est in universâ hac quaestione de utili omnem Sophistarum argumentationem singulos tantum spectare homines, et nullo pacto, ne ab ipsis quidem, eo potuisse efferri, ut rite applicetur ad vitae socialis rationem. Hoc capitale Thrasymachi aliorumque ratiocinationis vitium Socrates acute et subtiliter reprehendit (5).

Ceterum si utrumque liceret et injustum esse et justum, neminem Sophistae gloriabantur suae sententiae calculum haud appositurum (6): nemo enim volens justus est, sed coäctus quisque legibus (7): ita ut reprehensio injustitiae non in hujus ipsius

(1) V. c. Polus. v. Gorg. 474. C. 475. B. D. 477. C.
(2) Gorg. 482. E. Rep. I. 348. C. E.
(3) Rep. I. 343. D. sqq. II. 360. E. sqq.
(4) Gorg. 494. B. *ἀλλ' ἐν τούτῳ ἐστὶ τὸ ἡδέως ζῆν, ἐν τῷ ὡς πλεῖστον ἐπιῤῥεῖν.* ib. C. *λέγω, καὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἁπάσας ἔχοντα καὶ δυνάμενον πληροῦν χαίροντα εὐδαιμόνως ζῆν.*
(5) Rep. I. 351. C. sqq.
(6) Rep. II. 359. B. sqq.
(7) Rep. II. 360. C.

naturâ, sed omnis insit in poenae metu; οὐ γὰρ τὸ ποιεῖν τὰ ἄδικα ἀλλὰ τὸ πάσχειν φοβούμενοι ὀνειδίζουσι οἱ ὀνειδίζοντες τὴν ἀδικίαν (1). Leges itaque hoc quidem possunt, ut tanquam necessarium quid vulgaris justitia colatur; sed nihilominus, quam ipsi propugnant, justi notio, veritatis est atque utilitatis rationibus accommodatior.

Hanc doctrinam Sophistae contendebant non philosophiae deberi, sed multo magis probari communi veritatis sensu; quin philosophiam dictitabant a communi vitâ nimis remotam et in vanis argutiis versantem, eamque tamquam fallacem magistram maximo odio prosequebantur (2).

SECTIO SEXTA.

DE SOCRATE.

Venimus ad Socratem, philosophiae moralis patrem, quo nemo mortalium unquam majorem nactus est famae celebritatem, quem omnia secula admiratione intuentur religioni proximâ. Et tamen, si quaeras, quid reliquerit nobis, unde tantâ sit viri existimatio, fatendum est, nihil ex ipsius ad

(1) Rep. I. 344. C. Cf. Gorg. 472. D. sqq.
(2) Gorg. 484. C. — 486. C. 487. C.

nos pervenisse doctrinâ, nisi quod discipulorum operae debeatur, quibus ne integra quidem habetur fides. Si deinde de praestantiâ quaeras horum praeceptorum Socraticorum, vere non ea sunt, quae utpute reliquorum sapientum excogitatis sublimiora, ad Deorum fere chorum auctorem efferre valeant. Quonam igitur modo hanc meruit laudem, quam optimi quique certatim celebrant? Conabimur hoc explicare, ut simul indicemus principium, ex quo tum universa Socratis doctrina, tum illa pars, quae ad nostram pertinet quaestionem, dijudicari debet.

Nullus unquam fuit philosophus, cujus doctrina, ut recte aestimetur, aeque ac Socratis necesse habeat, ut cum temporum, quibus floruit, ratione diligentissime comparetur. Antiquiores fere de rebus egerant, quibuscum haud magna civitati intercedebat et vitae cum publicae tum privatae necessitudo; recentiores, ab ipso inde Platone, tametsi moralem tradiderunt disciplinam, in scholae umbris haeserunt et in disputando de bonis ac malis rebus absolutam magis conati sunt assequi veritatem, quam civium suorum emendare mores. Hinc fit, ut de placitis eorum rite judicare possis, quamvis removeas historiam, et, si quando temporum invocetur ratio, hoc ideo locum habet, ut de exilitate aut progressu notionum aequius judicetur. Qui in dijudicando Socrate eundem sequuntur tramitem, longissime aberrant: equidem, nisi bene reputentur tempora, et patescat inde Socratis con-

silium, non intelligo, cur omnes adeo venerentur philosophum, cur ipso tandem Apollinis oraculo sapientissimus habeatur omnium mortalium; sin autem, qua ratione patriae prodesse sibi proposuerit, cogito, non veneror solum, sed diligo hominem.

Socrates fuit popularis et vere practicus philosophus, qui non in loco a conventibus publicis secreto, verum docebat in foro, non de virtutibus universe et vitiis disputabat, verum invehebatur in ea sola, quibus maxime laborarent sui cives, non rationibus longe petitis confirmabat doctrinam, verum iis, quas intelligerent ac probarent omnes; non acuti ingenii sectabatur gloriolam, verum studium colebat publicae utilitatis. Idem, si alio tempore vixisset, alias adtigisset quaestiones, alia vituperasset vitia, alia placita probavisset.

Quod disciplinae Sophistarum originem, summam et efficaciam uberius explicuimus, huc egregie facit: Socrates juvenis audiverat principes et quotidie magis videbat, quantopere depravarent mores, veram obscurarent philosophiam et omnem sensum veri, pulcri ac honesti penitus exstinguerent. His se opponere constituit et minuendo ipsorum auctoritatem vim tollere, quam in publicam et privatam Atheniensium vitam exercerent. Primum igitur doctores, deinde doctrinam adortus est. Aviditatem imprimis perstrinxit et arrogantiam Sophistarum: verum non solis disputationibus, sed universâ vitae ratione Sophistarum acerrimum se praebuit adversarium. Dum isti ditis-

simos quosque juvenes maxime venarentur, ipse mercedis loco nihil unquam accepit (1); dum isti omnia se docere profiterentur, ipse nihil se scire testatus est (2); dum isti opulentissimis vestimentis et fastidioso ornatu instructi totam Graeciam ambitiose peragrarent, ipse simpliciter ac modeste vestitus patriam nisi patriae causâ nunquam reliquit (3). Praeterea doctrinam eorum adortus, non solebat copiose disputare de disciplina morali ejusque partibus, sed, ut jam dixi, ea impugnare vitia, quae Sophistarum imprimis institutione sensim sensimque in civitate obtinuerant, intemperantiam (4), legum neglectum (5), arrogantiam (6), similia. In omnibus igitur et exemplo et doctrinâ Sophistis obstare contendit, si unum excipias captiosum disputandi genus, quo saepissime utebatur, ut ipsorum eos telis conficeret.

Hoc, ni fallor, ingenium est philosophiae Socraticae, ex quo tam universa ejus disciplina, quam quae pars nobis in specie tractanda est, explicanda videtur: quod si semper ante oculos habuissent discipuli ipsius aliique eruditi viri antiquioris ac recentioris temporis, neque tot diversae exstitissent scholae, quae omnes Socratem profitentur auctorem, neque tot ipsi tribuerentur sen-

(1) Xen. Mem. L. 1. C. 2. §. 5. sqq., 60. C. 6. §. 5. sqq.
(2) Plat. Meno. 80. C.
(3) Xen. Mem. I. 6. 2. Plat. Crit. 52. B. D.
(4) Mem. I. 5.
(5) Mem. IV. 4. 2. sqq.
(6) Mem. I. 7.

sententiae, a quibus mens philosophi prorsus aliena existimanda est. Sic, ut de multis unum exemplum sumam, quod eligo propterea, quod, si vera esset suspicio, omnia, quae Socrates dedit, morum praecepta pessum darentur, scepticismi accusatus est saepissime (1). Et revera plus semel professus est nihil se scire, neque quid virtus sit (2), neque quid justitia (3), neque quid homo (4), et sic de reliquis. Quid igitur? Nullamne de gravissimis rebus sententiam fovebat? Nihil minus: sed propterea simulabat ignorantiam, ut eo magis a Sophistis differret, qui cuncta scire perhibebant (5). Ut ipse agnoscit Sextus Empiricus, qui lubenter summum virum suis partibus addixisset, nunquam Socrates serio talia protulit, sed jocandi causâ, et ut eo acrius impugnaret Sophistas (6).

Socrates, quamvis neque antiquiorum philoso-

(1) Academici scil. II. et III. scholae provocabant ad Socratem, tamquam sententiae suae fautorem, et contendebant saepe proprie unam tantum esse Academiam, quae omnis ex Socratica disciplina prodiit. Cf. Cicero Acad. Qu. II. 23. post. I. 3. de N. D. I. 5.

(2) Plato Meno. 71. A. C.

(3) Xen. Mem. IV. 4. 5.

(4) Plat. Phaedr. 230. A.

(5) Cf. Cl. Heusd. Init. Phil. Plat. T. II. P. III. p. 169.

(6) Sext. E. Pyrr. Hyp. I. 221. Loquitur Sextus de scriptis Platonis et refert Socratem in iis dubitanter loqui, ἔνθα εἰςάγεται ἤτοι παίζων πρός τινας ἢ ἀγωνιζόμενος πρὸς Σοφιστάς. Iis tamen, quae per Ironiam Socrates dubitaverat, in suam rem utitur Sextus. V. Pyrr. H. II. 22. adv. Log. VII. 264.

phorum, quos in inanibus quaestionibus versatos esse judicabat, vestigia presserit, neque absolutâ disciplinae formâ placita sua complexus fuerit, philosophiam tamen non deseruit, sed emendavit eam; imo, aequalium etiam judicio, quasi personâ suâ repraesentavit. Hinc Sophistae, quibus hac re etiam oppositus fuit, ipsam philosophiam adorti sunt, ut nocerent illi (1); hinc Critias et Charicles, ut Socratem, ne doceret juventutem, prohiberent, de philosophis universe legem tulere (2). Videtur hoc ipsum etiam haud contemnendum fuisse accusationis caput: sed Socrates potius mori se velle testatus est, quam a philosophiae studio desistere (3). — His praemonitis, jam ad ipsa placita accedamus.

Jam qui Socratis philosophandi consilium reputaverit, facile admittet, nunquam ab eo exhibitam esse accuratam virtutis definitionem, ad quam, velut ad caput systematis reliqua membra sedulo adaptarit. Disputandi quidem opportunitate saepissime adductus fuit, ut aliorum improbaret notiones atque corrigeret substitueretve meliorem, sed nunquam talem edidit, ad quam, tanquam omnium verissimam, universam argumentationem referret. Neque magis, posteriorum Dog-

(1) Xen. Mem. I. 6.
(2) Xen. Mem. I. 2. 31 sqq. ex quo repetiit Diog. L. II. 19.
(3) Plat. Apol. Socr. 29. C. sqq.

maticorum more, peculiares quasdam virtutes distinxit, quae, reliquis tanquam speciebus ad suum quaque genus redactis, conjunctae generaliorem virtutis notionem absolvant. Abhorrebant ista a consilio philosophiae Socraticae: quaeque in contrariam partem disputaverunt multi interpretes, uno alterove Xenophontis vel Platonis loco fundata sunt, cui, posthabitis aliis, plane singularem tribuunt auctoritatem; vel recentioris philosophiae formam exprimunt, Socratis placitis temere adpositam (1). Placita ea inopportunum videtur arctioribus comprehendere disciplinae finibus, quam quibus ipse voluit philosophus, qui persuadendi potius virtutem, quam describendi finem sibi proposuit.

Socratem Aristoteles improbavit, quoniam vir-

---

(1) Meinersius o. c, T. II. p. 425, auctoritate loci Xenoph. Mem. IV. 4. 5, Socratem facit virtutem primario distribuentem in *temperantiam* et *justitiam*. Sed non opus est cum viro celeb. (not. l. c.) Platonem adire, ut probetur, etiam alias virtutes tamquam primarias a philosopho proponi: ipsa Memorabilia exemplis abunde referta sunt. Secundum Tennemannum T. II. p. 67, virtutes, quas erga se ipse homo excercere debet, tres numerat Socrates, *sapientiam*, *temperantiam* et *fortitudinem; justitiam* erga alios, divisam iterum in *legum Divinarum* et *legum humanarum observantiam.* Recentior est haec divisio: quod de illis virtutibus praecipue Socrates disseruerit, manifestum est: sed inde non efficitur id, quod voluit Tennem. Praeterea legum Divinarum observantia, ὁσιότης, nonnunquam quidem ad justitiam refertur, sed saepius separatur ab illâ et tanquam distincta virtutis species proponitur. Maxime autem hoc offendit in Cl. viri sententiâ, quod in Socratis doctrinâ sapientiam *partem* virtutis constituere dicit.

tutes *scientias* esse dixerit: modo enim objurgat ipsum, quod ab alterâ parte mentis avocatâ virtute, ad solam alteram eam retulerit (1), modo temere concludi opinatur, quod quicunque norit virtutem, ei obsequatur (2), modo ex hac sententia, si vera esset, posse merito effici, ut ex suâ propriâ voluntate nemo bonus malusve sit, contendit (3). Sed Socrates, quantum quidem e Xenophonte novimus, nunquam animae partes ita distinxit, ut putandus sit in alterutrâ earum, reliquis exclusis, virtutis sedem collocavisse: hanc fortasse quaestionem esse supra captum nostrum vel nequaquam conducere nobis existimavit; quales quaestiones tamquam otiosas mittere solebat (4).

---

(1) Arist. Magn. Mor. I. 1. p. 145, I. 35. p. 171, Nicom. VI. 13. p. 84. Socrates, ex Aristotelis sententiâ (M. M. I. 1.), virtutes scientias esse dicens, eas ad rationalem animi partem universas refert, omittens irrationalem: *ἀναιρεῖ* igitur *καὶ πάθος καὶ ἦθος*. Cf. ib. C. 5. p. 151. — Aristoteles scil. e duobus constare virtutem statuit et *naturali habitu* et *ratione*. *Σωκράτης*, inquit l. Nicom. c., *μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι· ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας· ἡμεῖς δὲ, μετὰ λόγου* (subintell. *ἕξεις*. v. supra). Cf. etiam Nicom. I. 13. p. 17.

(2) Arist. Eudem. I. 5. p. 198 sq. Cf. Nicom. VII. 5. p. 88.

(3) Arist. Magn. Mor. I. 9. p. 153, Nicom. VII. 3. p. 86.

(4) Ipse Aristoteles observat Magn. Mor. I. 1. p. 146. Platonem primum fuisse, qui animae partes rationalem et irrationalem distinxerit et suas utrique virtutes distribuerit: ita ut minus recte Socrates apud ipsum saepius improbetur, quasi ex consulto in hac quaestione alteram animae partem praetermiserit.

Quod ad secundam criminationem attinet: quod Aristoteles ex sua scientiae definitione disserens, improbavit Socratis sententiam, facile intellectu est (1): sed Socrates longe aliam *scientiae* fovebat notionem et multo quidem sublimiorem, qualem postea instauraverunt quodammodo Stoici, juxta quam scil. quicunque vere agnoscat, quid sit bonum, illud nunquam non possit perpetrare (2); et, quo simul obviam itur postremae objectioni, propterea Socrates rectam rerum notitiam, tanquam primum officium, omnibus semper suasit (3): Socrates autem praxin non subjungebat virtuti tanquam aliquid accessorium, verum eam, si unquam aliquis philosophus, ille ad essentiam requirebat virtutis (4).

Non vero hoc Socratis placitum ideo comme-

---

(1) Cf. Arist. Magn. Mor. I. 35. p. 169 sq.

(2) Aristoteles ll. cc. Socratem facit virtutes appellantem, modo φρονήσεις, modo λόγους, modo ἐπιστήμας, modo σοφίαν, ipse quidem haec verba accurate distinguens, sed accipiens plane diversâ significatione, ac Socrates. Colligas cum locis Arist. citt. Xenoph. Mem. III. 9. 4, IV. 6. 7 sqq. Conferri meretur Plat. Euthyd. p. 281. B. *Οὐ μόνον ἄρα εὐτυχίαν ἀλλὰ καὶ εὐπραγίαν, ὡς ἔοικεν, ἡ ἐπιστήμη παρέχει τοῖς ἀνθρώποις ἐν πάσῃ κτήσει τε καὶ πράξει.*

(3) Xenoph. ll. cc. Plato Euthyd. p. 282.

(4) Xenoph. Mem. III. l. c. *Προςερωτώμενος δὲ, εἰ τοὺς ἐπισταμένους μὲν, ἃ δεῖ πράττειν, ποιοῦντας δὲ τἀναντία, σοφούς τε καὶ ἐγκρατεῖς εἶναι νομίζοι, οὐδέν γε μᾶλλον, ἔφη, ἢ ἀσόφους τε καὶ ἀμαθεῖς. Πάντας γὰρ οἶμαι προαιρουμένους ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, ἃ οἷόν τε, συμφορώτατα αὐτοῖς εἶναι, ταῦτα πράττειν.* ib. §. 14 sq. IV. 4. 10. IV. 6. 11.

moravimus, ut obloqueremur Aristoteli, sed quoniam, si recte intelligatur, proprium characterem constituere videtur Socraticae doctrinae moralis, non systematis inquam (in eo enim Stagirita lapsus esse videtur, quod Socratis sententiam, ac si systematis arcte cohaerentis principium contineret, dijudicaverit), sed popularis doctrinae characterem, qui, opinor, in proxima situs erat honestatis atque utilitatis conjunctione. » Dubitandum non est", legimus apud Tullium (1), » quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui primum, haec naturâ cohaerentia, opinione distraxissent". Sed fusius haec paullo explicanda sunt, non solum propter universam quaestionis gravitatem, verum imprimis, quod justitiam nunquam a philosopho laudatam reperies, nisi, quam affert, ob utilitatem. Ipsius itaque argumenti nostri ratio suadet, ut utilitatis eam cum philosophiâ conjunctionem accuratius persequamur.

Antiquitus non multum homines disputaverant de philosophiae fine: sed haec omnium animos fixa tenebat persuasio, cogitandi et agendi finem non alium excogitari posse, quam ut feliciores evaderent. Sic, ut in priori dissertationis parte vidimus, non aliunde justitiam commendatam reperies, quam utilitatis ratione. Hoc communi ac veluti innato sensu abusi sunt Sophistae, ut im-

(1) Cic. de Off. III. 3. cf. de Legg. I. 12. de Fin. III. 21.

pugnarent virtutem: illi exstiterunt, qui primi honestum ab utili distraherent. Ex hoc principio orsi iisdem telis philosophiam aggressi sunt. Ducit ad justitiam tua doctrina, dixerunt Socrati, ad felicitatem vero nequaquam (1). Hac autem laude, quâ nihil valebat magis ad populi mentem a suis praeceptis abalienandam, non contentus, Socrates ad felicitatem docuit nihil minus quam ad virtutem conducere suam disciplinam (2); se eodem tendere quo ipsos: quippe maximam judicare habendam esse utilitatis rationem, eamque, quae omni de vitâ instituendâ praesidet quaestioni; adversariorum vero in eo consistere errorem, quod, quid revera utile sit, nescirent, adeoque finem aliis monstraturi ipsi non agnoscerent: verum enim bonum non in iis esse situm posse, quae forte fortunâ acquiruntur (3): ad ea enim, quae forte obveniant, comparanda non posse vitam institui; sed illud bonum existimari oportere, quod proprio labore nobis acquisiverimus; non igitur τρυφὴν

(1) Xen. Mem. I. 6. 2, 3, 11.

(2) Xen. Mem. I. 6. 14. IV. 8. 6, 11. Universe autem inspiciantur de hac quaestione L. I. C. 6, L. III. C. 9. et L. IV. C. 6.

(3) Xen. Mem. III. 9. 14. Ἐρομένου δέ τινος αὐτὸν, τί δοκοίη αὐτῷ κράτιστον ἀνδρὶ ἐπιτήδευμα εἶναι, ἀπεκρίνατο, εὐπραξίαν. ἐρομένου δὲ πάλιν, εἰ καὶ τὴν εὐτυχίαν ἐπιτήδευμα νομίζοι εἶναι, πᾶν μὲν οὖν τοὐναντίον ἔγωγ', ἔφη, τύχην καὶ πρᾶξιν ἡγοῦμαι. τὸ μὲν γὰρ μὴ ζητοῦντα ἐπιτυχεῖν τινι τῶν δεόντων, εὐτυχίαν οἶμαι εἶναι· τὸ δὲ μαθόντα τι καὶ μελετήσαντα εὖ ποιεῖν, εὐπραξίαν νομίζω· καὶ οἱ τοῦτο ἐπιτηδεύοντες, δοκοῦσι μοι εὖ πράττειν.

et *πολυτελείαν* pro felicitate esse habendas, sed illud, ut quam paucissimis egeamus (1), quum hac scil. ratione ab externis rebus minime pendeamus et finis nobis propositi adsequendi vires in nobismet ipsis reperiamus sitas. Sin autem hoc constet, eam esse ducendam felicitatem, quae non aliunde pendeat sed nostris operibus et labore gignatur, sufficere judicabat Socrates, si rite cognoscatur virtus, ut apta aestimetur et vero necessaria felicitatis procreatrix. Qui recte scit, quid sit temperantia, intelligit, fructus eam proferre, propter quos, qui sibi consulere velit, necessario eam colit atque tuetur (2). Idem de reliquâ virtute valet: ita ut, quandoquidem nemo de industriâ sibi nocere velle existimandus est, qui recte novit virtutem, is simul probus esse intelligatur. Hoc itaque sensu Socrates virtutes *scientias* appellavit (3).

---

(1) I. 6. 10. *Ἔοικας, ὦ Ἀντιφῶν, τὴν εὐδαιμονίαν οἰομένῳ τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν εἶναι· ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων, ἐγγυτάτω τοῦ θείου· καὶ τὸ μὲν θεῖον, κράτιστον, τὸ δὲ ἐγγυτάτω τοῦ θείου, ἐγγυτάτω τοῦ κρατίστου.*

(2) Xen. Mem. IV. 5. passim.

(3) Improbandum videtur judicium multorum virorum doctorum, et inter eos Cl. v. Limburg Brouwer in disput. laud. praemio leg. Stolp. ornatâ, qui statuunt sententiam Socratis, *virtutem esse scientiam*, explicandam esse e virtutis amore, quo ita flagravit Socrates, ut ejus cognitionem atque amorem cogitatione divellere non posset cet. (vid. ipsam Disp. p. 55). Nimirum Socratis doctrina moralis, qualem e Xenophonte haurimus, omnem hujus placiti explicationem respuere videtur, quae non ex honestatis atque utilitatis necessitudine desumpta sit.

Offendit haec doctrina bene multos, e quibus mittamus illos, qui variis modis tentarunt Xenophontea scripta, ut alia inde placita elicerent. Sed eos non praetereundos puto, qui agnoscunt quidem in philosophiâ Socraticâ, qualem exhibuit Xenophon, dominari eam atque habitare doctrinam, quae ab utilitate non secernit honestum, sed de Xenophontis propterea velint detrahere laudibus. »Non ille factus", ajunt, »ad subtiliores philosophiae quaestiones, descripsit Socratem ab unâ tantum parte et dedit nobis hanc doctrinam utilitate omnia metientem, cujus tamen doctrinae rationem ipse non satis videtur perspexisse" (1). Quod judicium non cum iis (2) severum putem, at injustissimum. Proponit Xenophon nobis virum, qualem veneratur tota antiquitas, qualemque doctorem morum eo praesertim tempore esse oportebat, ad virtutem iis argumentis ducentem homines, quae omnibus habebantur indubitatae veritatis. Si virtutem propter se ipsam docuisset expetendam, ornatius fortasse fuisset locutus, sed multo minus ad persuadendum accommodate. Et quo modo conjunxit utile cum honesto? Utilitatis notione amplificandâ atque emendandâ ipsum virtutis studium insigniter promovit (3). Eos, inquit, opinor, optime vivere, qui hoc potissimum

---

(1) Cl. Lud. Dissen de Phil. Mor. in Xenoph. de Socr. Comment. trad. Götting. 1812. p. 28.

(2) Idem p. 27.

(3) Xen. Mem. I. 2. 57. I. 6. 10. IV. 2. 34.

curent, ut meliores fiant, jucundissime vero eos, qui maxime intelligant, se fieri meliores (1). Felicitatem ergo assequi nemo poterat, nisi qui simul assectaretur virtutem. Aurei hujus praecepti veritatem non institutione solâ verum universâ vitâ egregie testatus est et visus adeo Xenophonti τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός γε ἀνὴρ καὶ εὐδαιμονέστατος (2).

Falso item a nonnullis perhibetur, illam doctrinam morum plane diversam esse ab ea, quam magistri nomine Plato literis mandavit. Quamvis videlicet apud hunc Methaphysicis saepe et altius repetitis rationibus utatur, fons semper et principium philosophiae Socraticae utilitatis est et honestatis proxima conjunctio (3). Praestat tamen,

(1) Xen. Mem. IV. 8. 6. ἄριστα μὲν γὰρ οἶμαι ζῆν, τοὺς ἄριστα ἐπιμελομένους τοῦ ὡς βελτίστους γίγνεσθαι, ἥδιστα δὲ τοὺς μάλιστα αἰσθανομένους, ὅτι βελτίους γίγνονται.

(2) Xen. Mem. in fine.

(3) In omni disceptatione cum Sophistis, de qua suo loco egimus, hoc praecipuum fuit consilium Socratis, ut probaret quod justum sit idem esse utile. Quantum scil. ponderis, secundum Platonem, quaestioni de utilitate tribueret, patet tum ex variis locis priorum libb. de Rep., tum imprimis e Gorgia p. 472. C. et passim; quem lubentissime huc allegamus dialogum propterea, quod communis eruditorum vox hunc praecipue Socraticam statuit spirare indolem. Cff. Meiners T. II. p. 420 sq. not. Cl. Coray in Praef. ad edit. Memor. et Gorg. Paris. 1825. Non inficiandum est, apud Platonem et in ipso quidem Gorgia virtutem commendari aliis etiam rationibus, quam Xenophonteâ ista utilitatis specie: v. c. animorum immortalitate, quem locum omnes norunt, quam

opinor, e Xenophonte Socratica desumere, tum quoniam is non, aeque ac Plato saepissime, sua magistri placitis admiscuit, tum quoniam Socratem ab ea parte nobis proposuit, a qua inprimis considerandus videtur, tamquam popularem scil. philosophiae doctorem. Quae enim Esotericâ, ut, Pythagorice loquar, disciplinâ comprehendit privatimque discipulos docuit, non facile nobis erunt clara ac parata, de quibus scil. ne ipsi quidem discipuli Socratis convenerunt, variarum scholarum auctores, at suam tamen disciplinam omnes magistro referentes acceptam.

Ut in reliquâ Socratis doctrinâ, ita imprimis in placitis de justo dijudicandis, probe discernendum est, utrum de meritis Socratis quaeratur, ipsius spectato philosophandi consilio, an de emolumentis universe, quae philosophiae studio praestiterit. Quamvis enim pater disciplinae moralis vocari mereatur et melius ac copiosius de virtute disseruerit, quam omnes, qui praecesserunt, philosophi, non tamen diffitendum est, si doctrina

quam divine Plato, praesertim in Phaedone, tractaverit, dum penitus omiserit Xenophon. Quamvis autem non credibile sit, non attigisse Socratem hanc quaestionem (v. Cl. Wyttenb. Quinq. Lect. ed. Mahne p. 69 sqq.) explicatur tamen Xenophontis silentium, si reputemus, universum de animorum immortalitate locum eo tempore cum fabulis, quas liberalius instituti homines aspernari incipiebant, adeo fuisse conjunctum, ut eo tanquam incitamento ad virtutem non prudenter philosophus uti posset. Cf. Plato de Rep. I. 330 D.

ipsius a tempore, quo docuit, separetur, multa in eâ reperiri, quae tam sublimi ingenio tantaque nominis celebritate videri possent indigna. Sin autem cogitatur philosophandi consilium, quod in populari morum doctore maxime cogitandum est, ut scil. impugnaret Sophistarum auctoritatem, videmus etiam eas disciplinae partes, quae per se spectatae in nostram inciderent animadversionem, egregie facere ad summi viri laudes. Imprimis hoc valet de justitia, quam nempe Ethices partem, nisi teneatur illud judicandi principium, non vereor eam dicere, in cujus notione emendandâ minime Socratis ingenium elaboraverit.

Docebat quidem justitiam omnia ea officia complecti, quibus invicem homines sibi tenentur (1), adeoque grati animi officium, veritatem multaque similia ad eam esse referenda (2): non solis enim obediendum diserte praescriptis in civitate legibus, sed aliis etiam, quarum non homines sed ipsi Dii existimandi auctores (3); — verum generaliorem illam justitiae notionem non solum non creavit Socrates, et ne amplificavit quidem, sed misit potius et reliquit, ut eam proprie sibi tuendam provinciam susciperet, quae maxime adversariorum aggressioni erat exposita.

Sophistae enim, ut supra ostendimus, populari ambitioni adulati, praesertim civilis juris conati

(1) Plat. Gorg. 507. B.
(2) Xen. Mem. II. 2. 1—3. IV. 2. 12 sqq. 4. 20, 24.
(3) Xen. Mem. IV. 4. 19 sqq.

erant imminuere auctoritatem et per totam Graeciam hanc opinionem divulgarant, quod, quae legibus jubentur, hominum tantum voluntati debeantur, ab ipsâ naturâ longissime vulgo recedenti. Socrates, qui videbat, nullam capitaliorem pestem posse patriae suae imminere, quam si, dispersis ubique hujusmodi placitis, legum oriretur neglectus, earum auctoritatem per totam vitam strenuè defendit, immo ad cultum earum omnem fere justitiam retulit: qua in re, ut fieri solet, temerariis adversariorum conaminibus obsistens, ipse fortasse in contrariam partem paullo ulterius progressus est.

Sed priusquam haec uberius exponamus, non possumus silentio praeterire eos, qui in Socraticis de justo sententiis, etsi a consilio philosophi, quoque docuit, tempore separentur, tam praeclarum quid ac singulare invenerunt, ut ab hac inde disciplinâ novam aeram aestiment esse juris studio computandam.

Magnam hanc existimationem peperit imprimis colloquium cum Hippiâ supra memoratum (1), quo cum demonstrasset philosophus justitiam versari in obsequendo legibus a civitate latis, nonnulla Sophistam interrogare pergit de legibus ἀγράφοις, quarum nempe observantia aeque ad justitiam referenda videtur. Sed quum inter classicos locos recenseatur, qui de argumento nostro e veteribus excitari solent, ipsum locum dabimus.

(1) V. p. 125 sqq.

ipsius a tempore, quo docuit, separetur, in eâ reperiri, quae tam sublimi ingenio que nominis celebritate videri possent ı Sin autem cogitatur philosophandi consilium, in populari morum doctore maxime cogit est, ut scil. impugnaret Sophistarum auctori videmus etiam eas disciplinae partes, qua se spectatae in nostram inciderent animadv nem, egregie facere ad summi viri laudes. primis hoc valet de justitia, quam nempe ces partem, nisi teneatur illud judicandi cipium, non vereor eam dicere, in cujus n emendandâ minime Socratis ingenium elabor

Docebat quidem justitiam omnia ea officia plecti, quibus invicem homines sibi tenent adeoque grati animi officium, veritatem m similia ad eam esse referenda (2): non solis obediendum diserte praescriptis in civitate le sed aliis etiam, quarum non homines sed i existimandi auctores (3); — verum genera illam justitiae notionem non solum non Socrates, et ne amplificavit quidem, sed potius et reliquit, ut eam proprie sibi tu provinciam susciperet, quae maxime adve rum aggressioni erat exposita.

Sophistae enim, ut supra ostendimus, po ambitioni adulati, praesertim civilis juris

(1) Plat. Gorg. 507. B.
(2) Xen. Mem. II. 2. 1—3. IV. 2. 12 sqq. 4.
(3) Xen. Mem. IV. 4. 19 sqq.

ipsius a tempore, quo docuit, separetur, mul
in eâ reperiri, quae tam sublimi ingenio tan
que nominis celebritate videri possent indig
Sin autem cogitatur philosophandi consilium, q
in populari morum doctore maxime cogitand
est, ut scil. impugnaret Sophistarum auctoritat
videmus etiam eas disciplinae partes, quae p
se spectatae in nostram inciderent animadver
nem, egregie facere ad summi viri laudes. I
primis hoc valet de justitia, quam nempe E
ces partem, nisi teneatur illud judicandi pri
cipium, non vereor eam dicere, in cujus noti
emendandâ minime Socratis ingenium elaborave

Docebat quidem justitiam omnia ea officia co
plecti, quibus invicem homines sibi tenentur (1
adeoque grati animi officium, veritatem mult
similia ad eam esse referenda (2): non solis e
obediendum diserte praescriptis in civitate legib
sed aliis etiam, quarum non homines sed ips
existimandi auctores (3); — verum generali
illam justitiae notionem non solum non cre
Socrates, et ne amplificavit quidem, sed m
potius et reliquit, ut eam proprie sibi tuend
provinciam susciperet, quae maxime adversari
rum aggressioni erat exposita.

Sophistae enim, ut supra ostendimus, popul
ambitioni adulati, praesertim civilis juris conat

(1) Plat. Gorg. 507. B.
(2) Xen. Mem. II. 2. 1—3. IV. 2. 12 sqq. 4. 20, 24.
(3) Xen. Mem. IV. 4. 19 sqq.

Ἀγράφους δέ τινας οἶσθα, ἔφη, ὦ Ἱππία, νόμους; τούς γ' ἐν πάσῃ, ἔφη, χώρᾳ κατὰ ταυτὰ νομιζομένους. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν, ἔφη, ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο; καὶ πῶς ἄν; ἔφη, οἵγε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι. τίνας οὖν, ἔφη, νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; ἐγὼ μέν, ἔφη, θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι. καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται τοὺς θεοὺς σέβειν. οὐκοῦν καὶ γονέας τιμᾶν πανταχοῦ νομίζεται; καὶ τοῦτο, ἔφη. οὐκοῦν καὶ μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν; οὐκέτι μοι δοκεῖ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οὗτος θεοῦ νόμος εἶναι. τί δή; ἔφη. ὅτι αἰσθάνομαί τινας, ἔφη, παραβαίνοντας αὐτόν. καὶ γὰρ ἄλλα πολλά, ἔφη, παρανομοῦσιν· ἀλλ' οὖν δίκην γε τοι διδόασιν οἱ παραβαίνοντες τοὺς ὑπὸ τῶν θεῶν κειμένους νόμους, ἣν οὐδενὶ τρόπῳ δυνατὸν ἀνθρώπῳ διαφυγεῖν (1). Fusius deinde demonstrat Socrates, quamvis ab hominibus violentur istae leges, non propterea Divinam iis abjudicandam esse auctoritatem: cum scilicet transgressores divinae poenae prosequantur. Haec denique est argumentationis conclusio: Dii non possunt hominibus imperasse injusta: quod vero imperarunt ea, quae νόμιμα habentur, ex eo patet, quod puniant detrectatores: ipsis igitur Deis placet idem esse justum (δίκαιον) et legitimum (νόμιμον) (2).

---

(1) Xen. Mem. IV. 4. 19 sqq.
(2) Ib. §. 24 sq.

Propter illam νόμων ἀγράφων mentionem a quibusdam Socrates dicitur invenisse Juris Naturalis disciplinam ejusque pater celebratur peculiari quodam scripto, quod superiori aevo de industriâ vir doctus contexuit, ut hanc ipsi laudem vindicaret (1). Sed ne, omissâ re, de verbis disputemus, videndum est, quodnam et quale jus naturae intelligatur. Si enim cogitandum est de officiis, quae, etsi nullâ lege praescripta, ad justitiam referenda sint, revera non primus exstitit Socrates, qui ea agnoverit: omnis antiquitas aeque testatur eorum conscientiam. Si fortasse in origine divinâ quid amplius quaeratur, a poëtis haec sententia potius, quam a philosophis esset repetenda. Quid igitur? Non propterea requiro recentiorum jus cogendi, neque disciplinam juris ab Ethicâ remotam. Nuspiam apud veteres horum vestigia deprehenderis. Sed manserit justitia doctrinae moralis pars: ut tamen dictam laudem aliquo modo Socrati conciliemus, necesse est citata verba generaliorem juris notionem contineant, finibus suis rite circumscriptam, et distinctam a juris constituti notione, cujus tamquam fontem comprehendat atque principium. Nihil hujusmodi reperitur: immo *non scriptae* illae leges, quas Socrates memorat, cum scriptis quasi conjungendae sunt, ut utrisque observandis justitiae munus ab-

---

(1) Feuerlein de jure naturae Socratis Altorf. 1719.

solvatur. Universae enim justitiae perpetuum principium proponitur *τὸ νόμιμον*, i. e. observantia officiorum, quae a civitate praescribuntur, sive nobis innotescunt ac jubentur lege humanâ, sive lege Divinâ (1). Si quaeras, cur iis obtemperandum sit, eadem causa est, cur reliquae virtuti obsequaris, propria utilitatis ratio. Sed hac de re deinceps.

Majoris pretii videtur opinio Henricii, qui putat, non Juris Naturalis quidem, sed Juris Gentium Socratem exstitisse auctorem (2). Et revera, si cum loco Xenophonteo supra citato confertur juris gentium notio, qualem v. c. definitione suâ expresserunt postea jurisconsulti Romani (3), videri possit hic honos vix Socrati abjudican-

---

(1) Officia, quae legibus non scriptis, aeque ac ea, quae scriptis jubentur, ad Socraticum *νόμιμον* pertinebant. Sic l. l. §. 24 init. *τοὺς εὖ ποιοῦντας ἀντευεργετεῖν πανταχοῦ νόμιμον* esse Socrates statuit, quamvis idem alio loco (Mem. II. 2. 23.) filium suum rogat: *οὐκ οἶσθα, ὅτι καὶ ἡ πόλις ἄλλης μὴν ἀχαριστίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται, οὐδὲ δικάζει, ἀλλὰ περιορᾷ τούς εὖ πεπονθότας χάριν οὐκ ἀποδιδόντας· ἐὰν δέ τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην τε ἐπιτίθησι* cett.

(2) Henrici Ideën zu einer wissensch. Begründ der Rechtsl. T. 1. p. 48.

(3) V. Justin. Inst. L. I. T. 2. de Jure Nat. Gent. et Civ. §. I. »Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur: vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur". Et, pariter atque a Socrate, ejusdem tit. §. 11., naturalia ea jura, quae apud omnes gentes peraeque observantur, divinâ quadam providentiâ constituta dicuntur.

dus (1). Si vero totus ille dialogus cum Hippia ad finem usque accurate inspicitur, patebit non consensionem eam omnium gentium, sed voluntatem divinam, quae poenis manifestatur, a Socrate criterium haberi, quò leges ἄγραφοι dignoscantur (2). Et quale haec divina voluntas, si rite attenditur, criterium est? Tale, ut saepissime bonitas seu pravitas actionis non vere possit aestimari, antequam ipsa actio perpetrata est.

Itaque egregie falluntur, opinor, qui de νόμοις istis ἀγράφοις tam magnifice statuant. Neque, arbitror, fuit consilium Socratis, ut eo tamquam communi nomine, designaret leges a naturâ profectas. Solita ipsius cum Sophistis adeoque cum Hippia dimicatio eo tendebat, ut sua legibus relinqueretur auctoritas. Ita hac etiam opportunitate probare voluit, non solum *constituti*, verum *universi in civitate recepti* juris observantiam civibus esse utilem ac fructuosissimam. Ad civitatem enim aeque omnia in Socratis disputatione redibant.

Hinc fit, quod, quandocunque cum Sophistis de jure colloqueretur, in legitimo (νομίμῳ) conatus sit omnem de justo (δικαίῳ) collocare quaes-

---

(1) Quandoquidem scilicet primus de industria hanc quaestionem tractavisse existimandus esset. Ceteroquin jam ante Socratem poëtae de hac consensione gentium monuerant. Cff. Sophoclis et inprimis Empedoclis versus cit. apud Aristot. Rhet. L. 1. C. 13.

(2) Cff. imprimis §. 20 sq. et 24.

tionem (1). Hinc explicandum, quod quae officia praestanda civibus praeceperat, ea justum existimavit violare erga hostes (2). Nam *πλείστου γε δοκεῖ*, inquit, *ἀνὴρ ἐπαίνου ἄξιος εἶναι, ὃς ἂν φθάνῃ τοὺς μὲν πολεμίους κακῶς ποιῶν, τοὺς δὲ φίλους εὐεργετῶν* (3).

Veluti ad reliquam virtutem Socrates non praeceptis solum, sed universâ magis vitae ratione cives exhortari solebat, ita etiam justitiae, qualem ipse intelligebat, effigiem ore minus quam exemplo expressit. Nunquam ipsum aut *civium ardor prava jubentium*, aut *vultus instantis tyranni* abs tranquilla et religiosa legum obtemperantia absterruit (4). Sed imprimis postremis vitae diebus os-

---

(1) V. g. d. Cap. §. 12, 18 et ejusdem Lib. C. 6. §. 5 sq. Idem agit apud Platonem. Cff. e. g. Gorg. passim, de Rep. I. 339. B. cet.

(2) Mem. IV. 2. 15. II. 2. 2. Hoc postremo tamen loco, quod notatu dignum videtur, *grati animi* officium dicitur id, quod omnibus, etiam hostibus, praestandum est: *ἡ ἀχαριστία* enim *εἰλικρινής τις ἀδικία* videtur. Nimirum *accepto* beneficio vel damno, hoc utique *reddendum* existimavit Socrates. Cf. Arist. Rhet. II. 23. p. 576. Diverso modo, sed minus apto, ut videtur, ad ipsius doctrinam, Socratis sententia proponitur apud Plat. Rep. I. 332. B. sqq.

(3) Mem. II. 3. 14. Cf. II. 1. 19. II. 6. 35. Plurimum hi loci non ad hostes solos, sed adversarios universe referendi sunt: utrosque oportet male tractare, hos tamen observatâ semper civitatis lege, quâ erga hostes nemo tenetur.

(4) Mem. IV. 4. 2 sq. *καὶ ὅτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιστάτης γενόμενος, οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη τοιαύτῃ ὁρμῇ τοῦ δήμου, ἣν οὐκ ἂν οἶμαι ἄλλον οὐδένα ἄνθρω-*

πον

tendit, quid legibus tribueret: qui maluerit iis insistens mori, quam detrectando servare vitam; qui ne *solitis* quidem dignatus sit reorum remediis uti, si adversabantur legibus (1). Cuique nota sunt, quae moriturus cum Critone disputavit, quae, qualia ad nos perlata sunt, licet non ad verbum Socratica censeri possint, certissime continent sententiam Socratis, qui propterea poenam effugere recusavit, quoniam quasi pacto cum civitate inito ad omnia ea patienda obligatum sese judicabat, quae legibus juberentur (2): leges autem sententias judicio publico latas ratas esse voluerunt (3). Non igitur quaesivit, utrum condemnatus esset sententiâ, quae saniori conveniat justitiae notioni. *Τὸ νόμιμον* enim, legibus obe-

---

πον ὑπομεῖναι. καὶ ὅτε οἱ τριάκοντα προςέταττον αὐτῷ παρὰ τοὺς νόμους τι, οὐκ ἐπείθετο. τοῖς τε γὰρ νέοις ἀπαγορευόντων αὐτῶν μὴ διαλέγεσθαι, καὶ προσταξάντων ἐκείνῳ τε καὶ ἄλλοις τισὶ τῶν πολιτῶν ἀγαγεῖν τινὰ ἐπὶ θανάτῳ, μόνος οὐκ ἐπείθη, διὰ τὸ παρὰ τοὺς νόμους αὐτῷ προςτάττεσθαι. Diceres Xenophontis locum Horatio ante oculos fuisse, cum justi viri imaginem depinxerit.

(1) Ib. §. 4. *καὶ ὅτε τὴν ὑπὸ Μελίτου γραφὴν ἔφευγε, τῶν ἄλλων εἰωθότων ἐν τοῖς δικαστηρίοις πρὸς χάριν τε τοῖς δικασταῖς διαλέγεσθαι, καὶ κολακεύειν καὶ δεῖσθαι παρὰ τοὺς νόμους, καὶ διὰ τὰ τοιαῦτα πολλῶν πολλάκις ὑπὸ τῶν δικαστῶν ἀφιεμένων, ἐκεῖνος οὐδὲν ἠθέλησε τῶν εἰωθότων ἐν τῷ δικαστηρίῳ παρὰ τοὺς νόμους ποιῆσαι, ἀλλὰ ῥᾳδίως ἂν ἀφεθεὶς ὑπὸ τῶν δικαστῶν, εἰ καὶ μετρίως τι τούτων ἐποίησε, προείλετο μᾶλλον τοῖς νόμοις ἐμμένων ἀποθανεῖν, ἢ παρανομῶν ζῆν.* Cf. Plutarch. adv. Colot. p. 1126. B.

(2) Plat. Crit. 51. D. E. 52. D. E. Cf. Phaed. 98. E. 99. A.

(3) Crit. 50. B. C.

dire, justum est, adeoque effugere poenam, injustum. — Ipso Socratis testimonio nemo certe desideravit gravius, quo probetur in observantiâ legum collocavisse praecipuum et vero universum paene justitiae munus (1).

Non tamen ipsi placebat tantopere Atheniensis reipublicae moderatio (2); immo non dubitandum esse opinor, quin longe praetulerit Lacedaemoniorum civitatem, in qua scilicet ipso jure legum auctoritas religiose custodiebatur (3). Sed intelligebat simul, qualescunque leges essent, sine strictâ earum observantiâ concordiam civium nul-

---

(1) Scilicet hoc convenit inter Socratem, mortem aufugere recusantem, et Critonem, id magistrum persuadere conantem, ut ea sententia vinceret, quae conveniret cum justitiae praeceptis Cf. Crit. 45. C. 48. B; deinde autem probatur justam ante omnia esse observantiam juris constituti.

(2) Aelian. Var. Hist. III. 17. *Σωκράτης δὲ τῇ μὲν Ἀθηναίων πολιτείᾳ οὐκ ἠρέσκετο· τυραννικὴν γὰρ καὶ μοναρχικὴν ἑώρα τὴν δημοκρατίαν οὖσαν.* — Cf. universum Cap. 5. L. III. Mem.

(3) Xen. Mem. IV. 4. 15. *Λυκοῦργον δὲ τὸν Λακεδαιμόνιον, ἔφη ὁ Σωκράτης, καταμεμάθηκας, ὅτι οὐδὲν ἂν διάφορον τῶν ἄλλων πόλεων τὴν Σπάρτην ἐποίησεν, εἰ μὴ τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις μάλιστα ἐνειργάσατο αὐτῇ.* Frequens est allusio in libb. Mem. ad civitatem Lacedaem. melius constitutam. Apud Platonem Crit. p. 52. E. leges finguntur Socrati dicere »*σύ τε οὔτε Λακεδαίμονα προῃρού, οὔτε Κρήτην* (Notum est, quantopere Cretensium legislatio cum Spartana conveniebat) *ἃς δὴ ἑκάστοτε φῄς εὐνομεῖσθαι* cett. quem locum, quo minus Platonicum habeamus, nequaquam, quod Ast. voluit o. l. p. 495, efficitur Rep. VIII. 544. C. Ceterum consentiens omnium veterum Philosophorum vox Lacedaemoni palmam tribuebat.

lam existere posse, sine concordiâ vero nullam patriae salutem (1).

Quod autem in Socratis doctrinâ omnem ferme justitiam lex civilis absorbet, non unica causa est, ob quam, nisi ad consilium philosophi animadvertatur, justi notionem existimamus mire ab eo esse neglectam. Accedit commendatio justitiae, sicuti reliquae virtutis, ducta ab utilitatis ratione; quodsi haec ab altiori principio repetatur, et ex universae societatis salute singulorum hominum felicitas computetur, nullâ certe re magis quam utilitate justitia probatur. At Socrates, callido atque ad rem ipsorum composito Sophistarum exemplo, quod improbabat alias (2), saepius ipse insistens, ad peculiares quosque casus et singula hominum facta quaestionem restrinxit; neque, quod multo satius fuerat, demonstravit, cujusvis interesse, ut ab omnibus probe colatur justitia, sed probare conatus est, quidquid alii faciant, sibi quemque consulere, qui justitiae munere rite fungatur.

Facile intelligitur, quae egregie faciunt ad temperantiae, reliquaeque virtutis, quam erga nos-

(1) Xen. Mem. IV. 4. 16. locus pulcherrimus, sed longior, qui exscribatur. Cf. III. 5. 16. Propterea, ut haec ὁμονοία servaretur, a rebus novis quaerendis quam maxime alienus fuit et civitatis instituta, hoc uno fortasse excepto, quod sorte magistratus eligebantur (Mem. I. 2. 9.), assidue defendit. Mem. I. 2. 63. — Cf. Cel. Luzac. de Socrate cive p. 51 sqq., 55 sq.

(2) Cf. supra p. 140.

met ipsi exercemus, laudem, non aeque valere de iis officiis, quibus tenemur ratione aliorum. Et revera mirifice friget argumentatio Socratis, quoties justitiae fructus vel injustitiae incommoda recenset, ea praesertim, quae a singulorum officiorum observantiâ pendent. Grati animi officium commendatur, quoniam, nisi quis eo fungatur, amicis suis destituitur, et nemo praeterea benevole eum habiturus est, a quo non vicissim gratiam exspectet (1). Liberis abstinendum est a re cum parentibus habenda, quoniam procreatur sic debilis soboles (2). Hujusmodi argumenta sunt, quibus non scriptae leges suadentur. Scriptis vero parendum est, ut bona existimatio acquiratur, honoresque, quos fidelibus legum custodibus certatim cives conferunt (3). Observare hic liceat, quod, cum propter utilitatem, quam ipsis justis affert, justitia e Socratis sententiâ colenda sit, inde merito effici possit, justitiam non complecti proprie *officia, quibus tenemur aliis*, sed *officia, quibus tenemur nobismet ipsis ratione aliorum.*

Verum, quod magis etiam notandum est, ratio ista commendandae virtutis totam Socraticam doctrinam de justo maxime reddit incertam, eamque, sublato fundamento, veluti suspendit. Quum enim, quaenam actiones conveniant cum praeceptis justitiae divinae, (non loquor de jure civili, quod cuivis notum esse

(1) Xen. Mem. II. 2. 14. IV. 4. 24.
(2) Xen. Mem. IV. 4. 22. sq.
(3) Ib. §. 17.

potest), dijudicare oporteat ex emolumentis vel incommodis (in quibus scil. cernitur sive remuneratio sive poena Divina) cum iis actionibus necesse conjunctis, quumque eaedem actiones modo utiles sint, modo noxiae, pro varia conditione, quâ quis usus eas committat, nulla sequitur certa ac stabilia justitiae praecepta dari posse. Exemplis rem illustrabimus ab ipso Socrate profectis, quibus, quamvis non serio usus sit, sed eo consilio, ut ancipitis disputationis ambagibus Euthydemum involveret, simul tamen ipse probavit, doctrinam de justo ab utilitatis ratione, non ad universam hominum societatem sed ad peculiares quosque casus applicatâ, pendentem nequaquam sibi constare adeoque non posse admitti. Oportet erga amicos nullâ fraude uti. Quid autem, si imperator, animis dejectis videns exercitum suum, fingat adventare socios, et hoc mendacio adhibito copiis animum reddat? Quid si quis filium suum indigentem pharmaco, ab ejusque usu abhorrentem, fraude circumveniens cibi loco pharmacum det, et ita ipsi sanitatem restituat? Quid si quis metuens, ne amicus suus, magno moerore oppressus, se ipse interficiat, suffuretur aut rapiat pugionem? Extra dubium ponitur, quin, qui istiusmodi fraude utatur, hoc ipso negotio justitiae munus impleat (1).

Haec sufficiunt, arbitror, quibus probetur, phi-

(1) Xen. Mem. IV. 2. 17.

losophicam juris notitiam a Socrate non solum non amplificatam, sed, postquam Sophistae ingeniosius atque uberius de juris naturâ quaesiverant, quam ante factum erat, potius esse diminutam. Non quod Sophistis sive ingenio sive sapientiae studio sive libere sentiendi ac pronunciandi audacia esset inferior. Sed, ut diximus, ante omnia patriam amabat Socrates et ejus commodis inservire conabatur. Saepe antem fit, ut, quae principia vir probus patriaeque amans vera atque justa opinatur, ea tamen oppugnare cogatur propter falsam aut intempestivam eorum principiorum adplicationem, et tandem, quod tamen dolendum est, ipsa principia improbare incipiat propter graves calamitates, quas iis male utendo perversi homines patriae suscitarint. Sic nostro tempore videmus multos viros probos patriaeque amantissimos tenaciter obsistundo perniciosis conaminibus eorum, qui quasi ab animi *liberalitate* nomen surripuerunt, in contrariam partem labi et ipsis principiis saepe verissimis infensos fieri, ac si abusu tolleretur usus. Simili ratione Sophistis obstitit Socrates. Neminem, credo, offendet exemplum a nostro aevo desumptum: cum quisquis, Graeciae ac praesertim Athenarum historiae vel mediocriter gnarus, non possit non agnoscere proximam similitudinem Sophistas inter, qui Socratis tempore doctrinâ sua civitatem labefactarunt, ac multos *liberales* recentioris temporis, perpetuos novarum rerum venatores.

Longe absit a nobis de Socratis detrahere laudibus: sed eos ipsos infestissimos summi viri gloriae existimo, qui popularis philosophi consilium praetermittunt et de praeceptis ejus tanquam disciplinae theoreticae partibus judicium ferunt.

Non solum autem populi moribus castigandis, verum etiam optimorum juvenum ingeniis ad veritatis studium efformandis eorumque animis ad sensum pulcri ac boni, καλοκἀγαθίαν, instituendis, de patriâ et vero de universâ humanitate egregie meruit. Plurimi enim ejus discipuli, quum ingratae civitatis pertaesum esset, ad domesticum et privatum philosophiae studium recurrerunt, et cum itaque neque temporum exigentiae neque civitatis conditioni esset aliquid concedendum, omnia ea in philosophiae usum impendere potuerunt, quae ex egregiâ Socratis institutione profecerant.

Socratici, qui vere dici possunt, fuere multi, ac fere totum in Graeciâ philosophiae campum occupavere; qui dici solent, ii videlicet, qui ex Socratis discipulis non novae scholae exstitere auctores, paucissimi. Memorantur Aeschines, Cebes, quorum, quae hodie feruntur scripta, a viris doctis spuria habentur; et omnium facile princeps Xenophon, cujus ingenium ad magistri ingenium factum videtur, cujus scripta verbotenus referunt Socraticum typum.

SECTIO SEPTIMA.

DE MEGARICIS, CET., CYNICIS, CYRENAICIS.



De scholis philosophorum expondituri, quae ex Socratico tamquam communi fonte prodierunt, nomine tantum compellamus Megaricam seu Eristicam, Eliacam et Eretriacam, quarum scil. auctores, morali doctrinâ relictâ, solum disputandi genus retinuerunt magistri, et philosophiam iterum ad argutias revocarunt, quibus eam Socrates reddiderat expertem. Solus Menedemus, Eretriacae auctor, vel potius Eliacae successor scholae (1), non plane neglexisse videtur Ethicam disciplinam, in qua eadem atque Plato probasse perhibetur (2).

Plures familiae philosophorum a Socrate originem traxerunt, quod, ut ait Cicero (3), ex illius variis et diversis et in omnem partem dispersis disputationibus alius aliud apprehenderat. Ita e Socraticâ doctrinâ de virtute cum utilitatis ratione proxime conjunctâ duae opiniones productae sunt, quas maxime inter se dissentientes ac fere sibi oppositas ex eodem fonte fluxisse mireris: Cyrenaicorum scil. et Cynicorum, quorum illi ab

(1) Diog. Laërt. II. 126.
(2) Ex Heraclide refert Diog. II. 135. Cf. tamen idem §. 134.
(3) Cic. de Orat. III. 16.

ristippo dicti sunt, hi Antisthenem habuere auctorem (1). Uterque hoc magistro suffragabatur, solam esse moralem philosophiae partem, quae coli mereatur: sed cum Socrates virtutem et felicitatem depinxisset tanquam sorores ipsa natura conjunctas, austerum et minus elegans Antisthenis ingenium magis ad imitandum exemplum magistri quam amplectandam illius doctrinam ferebatur, indigne habens, quod quamvis utique non separasset virtutem et felicitatem, distinxisset tamen eas, cum suo judicio praeter ipsam virtutem nul-

---

(1) De diversâ horum philosophorum ratione, ex Socratis doctrinâ explicandâ, legi meretur elegans Comment. Abb. Le Batteux, cui tit. Developpement de la morale d'Aristippe (Mem. de l'Acad. des Inscript. T. XXVI. p. 1-9. Germ. in Hiszmann. Magaz. für die Philos. und ihre Gesch. T. IV. p. 221-236), qui, loci Horatiani (Epist. I. 1. 16.) explicandi opportunitate, hoc imprimis sibi sumpsit, ut diversam utriusque scholae sententiam de capessendâ republicâ exponeret. Optime hic observat (p. 234. Vers. Germ.) principia utrique fuisse eadem, applicationem diversam. In constituendis tamen iis principiis minus recte videtur versatus. Haec ponit: 1°. sapientem debere solum anquirere summum bonum. 2°. summum bonum in perfectâ naturâ situm esse. De priori horum principio nobis non quaerendum est, neque ipsi erat: antiquo enim omnis philosophiae moralis scopus erat τὸ εὐδαιμονεῖν. Secundum admitti potest: sed differentia Cynicos inter et Cyrenaicos non primario loco, ut voluit vir doct., explicanda est ex diverso sensu, quo *naturam* intelligebant, sed diversâ viâ, quam cognoscendi eam uterque elegerat. Etenim in judicio veri, quod sibi proposuit Aristippus, prima et princeps causa ponenda est omnis discriminis, quod ipsum inter et alios Socraticos intercedebat. Sed ulterius hoc exponere non nostrum est.

lum bonum existeret (1). Aristippus, fundamento disciplinae suae minus a magistro differens, felicitatis, quam fovit, notione, multo latius ab eo recessit. Veritatem percipi existimavit interno corporis sensu: hominem enim similem esse urbi obsessae (2): quippe nescire, quid res extra se positae revera sunt, agnoscere tantum, utrum grate nec ne iis afficiatur: in gratâ hac sensuum affectione felicitatem esse positam: in eâque comparandâ sapientiam, virtutem.

Hinc manifesto sequebatur, quod, quamvis ambo naturam se ducem sequi profiterentur, adeoque ex eodem principio ordirentur, in quaestione de juris natura maximopere discreparent. Aristippus, qui omnem veritatem objectivam negabat, justum nonnisi lege et consuetudine (*νόμῳ καὶ ἔθει*) esse pronuntjavit (3); quum contra Cynici leges eas, quas a naturâ profectas existimabant, summo studio

---

(1) Apud Diog. L. VI. 11. videretur ipse eas distinxisse αὐτάρκη γὰρ τὴν ἀρετὴν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν, qui locus etiam in errorem, ni fallor, induxit Cl. Tennemann. II. p. 91, 94. Vere enim sola, qua a Socrate secessit, sententia Antisthenis erat, virtutem et felicitatem rite intellectas unam eandemque rem esse. Propterea ipse in Hercule dixit (D. L. VI. 104.) philos. finem esse τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν. Cf. etiam Epigramma Athenaei a Diogene in ipsum translatum VI. 14.

(2) Plutarch. adv. Col. 1120. C. sqq. Cf. de hoc loco Batteux. Comm. l. p. 228. Germ.

(3) Diog. L. II. 93. Non intelligo, quomodo Bruckerus T. 1. p. 599. haesitare possit de vocis νόμος significatione. Nihil certius. Ceterum apertius etiam mentem declaravit Theodorus Cyrenaicus. V. Diog. l. c. §. 99.

revererentur et Sophistas imitati νόμῳ φύσιν opponere solerent (1).

Hoc juris contemtu non aliter potuit, quin Cyrenaici omnia ea licita arbitrarentur, quae non directa civitatis lege vetita erant, ceteraque vincula, quibus homines patriae, civitati, familiae se teneri patiantur, abjicienda existimarent, nisi quatenus voluptatis causa retineantur. *Pro patriā mortem oppetere, stultissimum* iis videbatur: *sapientem enim, ut stultorum commodis inserviat, prudentiam mittere, incongruum esse:* quippe haec doceat, non regionem quandam sed universum *mundum* esse *patriam* habendam (2).

Primo obtutu cum istis non recte convenire videtur, quod idem, ex quo haec plurimum haurienda erant, Diogenes Laertius, Aristippum, *quo reliquis hominibus antecedant philosophi*, rogatum, eo respondisse refert, *quod etsi omnes intereant leges, aequabiliter vivemus* (3). Verum hoc sa-

(1) Cf. Diog. L. VI. 71.

(2) Diog. L. II. 98. Haec tamen sententia non omnibus Cyrenaicis propria fuit, sed Theodoreis maxime tribuitur (Cyrenaica nempe schola in tres iterum sectas fracta est, Theodoreos, Hegesiacos et Annicerios). Annicerii ἀπέλιπον ὑπὲρ πατρίδος τι πράξειν (ib. §. 96). Ceterum haec sententia de mundo patriā adscribitur etiam Diogeni Cynico (Diog. L. VI. 63.) et imprimis ex Ciceronis loco Tusc. V. pervulgata est de Socrate, a cujus ingenio, ut, spero, ex superioribus patuit, nihil magis alienum excogitari potest.

(3) Diog. L. II. 68. Eadem sententia tribuitur Xenocrati Plut. de Virt. Mor. 446. E. adv. Col. 1124. E. Simi-

pientibus tribuebat Aristippus, quod quemque opinabatur sui ipsius commodi gratia niti, ut aequa homines inter relatio conservaretur. Veluti enim Sophistae *fortiores*, sic Cyrenaici *stultiores homines continendi consilio* leges arbitrabantnr confictas (1).

Cynici autem non solum religiose distinguebant leges a naturae instituto profectas ab iis, quae civitatis summae debentur (2), sed docebant etiam non minorem illis esse quam his cultum praestandum (3). Nimirum Antisthenes, quamvis, magistri exemplo, externâ magis vitae ratione, quam praeceptis commendabat disciplinam, non aeque tamen ante oculos habebat civitatis salutem, nihil curans, quid civibus utile esset, sed solummodo proferre gestiens, quae sibi viderentur vera. Quamvis autem Cynici tam parvi aestimarent leges constitutas, confitebantur tamen iis opus esse, ut recte civitas gubernari possit (4).

---

militer Plutarchus (de Fato p. 574. A.) leges iis non necessarias esse statuit, qui sciant, quid ratio docet. Cf. Arist. Eth. Nic. X. 10. p. 142.

(1) Diog. L. II. 99.

(2) Memorabile est inter Antisthenis scripta duo diversa recenseri (Diog. L. VI. 16.) *Περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας*, et *Περὶ νόμου, ἢ περὶ καλοῦ καὶ δικαίου*. Dolendum est ea periisse cum omnibus reliquis Antisthenis scriptis, inter quae enumerantur etiam protrepticus *de justitia* et alius libellus de *injustitia*.

(3) Diog. L. VI. 11. *Καὶ τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους πολιτεύεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς.*

(4) Diog. L. VI. 72. Diogenis Cynici memoratur sententia

Facile intelligitur, quo quaeque magis instituta videbantur a naturâ recedere, eo majore odio a Cynicis esse habita. Mundum Diogenes dicebat solam esse civitatem rite moderatam; nobilitatem adeo reliquaque instituta, quibus inter se homines redduntur dispares, esse ridicula; item matrimonia similiaque, quorum in ipsa natura nullum vestigium deprehenditur (1).

SECTIO OCTAVA.

DE PLATONE.

Quod contenderat praeceptis suis atque exemplo Socrates, ut innocuam redderet Sophistarum

περί τε τοῦ νόμου, ὅτι χωρὶς αὐτοῦ οὐχ οἷόν τε πολιτεύεσθαι· οὐ γὰρ, φησὶν, ἄνευ πόλεως ὄφελός τε εἶναι ἀστείου· (ἀστεῖον δὲ ἡ πόλις·) νόμου δὲ ἄνευ, πόλεως οὐδὲν ὄφελος· (ἀστεῖον ἄρα ὁ νόμος). Jam H. Stephanus locum suspectum judicavit: aliquam postea medelam adhibuit Mer. Casaubonus, sed, sicuti tamen huc usque legitur, locus nullnm sensum praebet. Vulgaris certe versio perobscura est, ea autem, quam dedit Bruckerus T. I. p. 884., aperte falsa. Equidem, quae uncis inclusi, expungenda arbitror, quippe, ut videtur, a librario profecta, qui locum explicare volens, ipsum non recte intellexit, et sic deinde Diogenis verba accipienda: » sine lege docebat rempublicam non posse geri: sine civili enim moderamine nullius utilitatis esse urbes structas: sine lege vero civile moderamen nihil proficere''. Ut certe ἀστεῖον h. l. dicta significatione accipiatur, oratio necesse postulare videtur.

(1) Diog. L. l. l. et lib. II. passim.

pestem, hanc haereditariam sibi suscepit provinciam Plato, et quam e civitate propulsare ille, hic a philosophia conatus est coërcere corruptelam: eos, quorum in solis verbis ars consistebat, sed ingenium a philosophia alienum erat, lepide irridens; istos autem, qui eloquentiae studium colebant, ut abuterentur eo et sanctissima quaeque adorirentur, corrigens severe; illos tandem, qui non solum popularibus argumentationibus propagabant nefariam doctrinam, sed eam philosophiae subtilioris placitis superstruebant, proprios sibi adversarios sumens, quibus, dirempto disputationis fundamento, tota errorum ac vitiorum moles corrueret.

Practica haec indoles philosophiae Platonis, quamvis obscurari ac fere opprimi soleat sublimioribus et vere divinis monumentis, quae sibi philosophus aperiendâ novâ aptiorique erexit verum inveniendi viâ, nequaquam tamen est praetermittenda, minimeque in nostrâ quaestione. Quotiescunque enim de justo disputat, Sophistarum causâ ortum fingit sermonem, iisque omnem hujus finem oppositum. Quid, quod in aureis de Republica libris, uberrimo nobis Platonis sententiarum fonte, disserentem eo consilio Socratem facit, ut probet justitiam non utilitatis causâ, sed propter se ipsam esse excolendam?

Quâ vero huc usque processimus viâ, ut, quae de justo philosophi docuerunt, cum ipsorum doctrinâ morali, eamque rursus cum universâ phi-

losophandi ratione componamus, eâ insistere pergemus: quippe persuasi, nisi horum ratio habeatur, ne illà quidem vere posse intelligi; quod, ut plurimum, ita imprimis de Platonicis valet. Res vero est ardua: sed conabimur nihilominus ex optimorum interpretum explicatione maximeque ex mente Platonis ea dare, quae ad placitorum de justo intelligentiam facere queant.

Unde semper incipiendum, a judicio veri, hinc praesertim in Platonis philosophia initium petendum est: quum hanc sibi Plato peculiarem habeat laudem, quod primus, in moralibus certe, non nisi bene dispecto veritatis criterio, ad reliquas disciplinae partes accesserit. Duae erant philosophorum scholae, quae tractaverant hanc quaestionem, Heraclitea, e qua prodierunt plurimi Sophistae, natumque est celebratissimum tunc temporis per totam Graeciam Protagorae effatum, *hominem esse mensuram omnium rerum* (1); altera Eleatica, quam Socraticâ subtilitate disputandi ornatam renovarant nuper Megarici. Ille in perpetuo perhibebat fluctu perpetuaque mutatione corpora versari, hic *unum reale* idque absolutum et immutabile agnoscebat. Plato oppositas istas doctrinas, adeoque universam philosophiam Hellenicam componere aggressus est, eamque suis luminibus illustrare ita, ut tandem justae veritatis

(1) Plat. Theaet. 152. A. E. 179. D. E. Cf. 160. C. D. sqq.

amicorum exspectationi satisfieret (1). Opinabatur cum Heraclito, perenni motu agitari corpora (2); sed non propterea de vero desperandum esse ajebat: non enim sensibus hanc quaestionem relinqui oportere (3): quippe quae non nisi instrumenta habenda sint, quorum ope tamquam in tabula cerea imagines rerum imprimuntur, ipsae vero res nequaquam percipiuntur (4); recte adeo Parmenidem sensibus opposuisse animum, quo verum τὸ ὄν comprehendi debeat (5): hunc tamen sensuum usum immodice et absolute nimis rejecisse penitus, eundemque tandem, quamvis recte exorsum a sensibus ad mentem, ab opinione ad scientiam, ab iis, quae videntur esse, ad ea quae sunt, transferre disquisitionem de vero, omnem omisisse viam, qua ad τοῦ ὄντος scientiam quis accedere possit et imperfectam igitur adeoque inutilem reliquisse omnium disciplinarum gravissimam (6).

(1) Cf. Celeb. Ast. Plat. Leb. und Schrift. p. 212 sq.

(2) Cic. Orat. C. 3. »Plato ait — caetera (omnia scil. praeter ideas) nasci, occidere, fluere, labi nec diutius esse uno et eodem statu''. Patebit infra latius ex speluncae Platonicae similitudine.

(3) Parmen. 136. D. E. Phaed. 65. B. 66. A—E. Cf. Aristot. Metaph. I. 6. p. 847.

(4) Theaet. 191. C. sqq. Phileb. 39. A.

(5) Soph. 249. C. Καὶ μὴν πρός γε τοῦτον παντὶ λόγῳ μαχητέον, ὃς ἂν ἐπιστήμην ἢ φρόνησιν ἢ νοῦν ἀφανίζων, ἰσχυρίζηται περί τινος ὁπηοῦν. Cic. Acad. Pr. II. 46. »Plato omne judicium veritatis veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit''.

(6) Cff. Tennemann. System der Platon. Phil. II. 320 sqq., Heusd. Init. Phil. Plat. T. II. P. III. 156 sqq. 167 sq.

Hanc viam, quae ad veritatis cognitionem ducit, Plato, cujus philosophia ad homines omnis, nulla ad res facta erat, nemini judicabat patere, nisi cui hominis tum conditio, qua solet uti, tum facultates, quibus ad meliorem instructus est adipiscendam, sint rite perspectae. Conditionem illam hominum vulgarem, in quâ sensibus adstricti opinantur tantum, quamvis scire se credant, similitudine expressit, sed adeo eleganti atque perspicuâ, ut accuratam definitionem non desideres. Captivos sibi finxit homines in loco subterraneo inclusos et crura collumque arcte vinctos, ita ut caput neutiquam detorquere possint, neque nisi obversa prospicere; post tergum eorum ignem accensum; inter ignem ipsosque captivos paullo superiorem quandam viam, juxta quam murus exstructus est, supra quem murum homines viâ istâ progredientes, vasa, statuas, animalium formas e lapide vel ligno confectas aliaque hujusmodi extollunt. Captivi, ignis lumine in adversam speluncae partem resplendente, rerum earum, quae supra murum eminent, ac imo sui ipsorum vident umbras tantum: adeoque, si inter se colloqui possint, ea quae vident, iisdem nominibus appellabunt, quibus, quae praetereunt, idonee designentur. His captivis Plato nos similes esse judicavit, nisi παιδείας ope errorum crassitie liberemur (1). Non tantum enim, quantum antea.

(1) Rep. VII. 514. A.—C. 515. C.

a veritate aberunt captivi, quando, solutis vinculis, ipsas statuas et vasa et cetera ista adspicient; multo autem rectius videbunt, quum, postquam e specu escenderunt, ipsum intuebuntur solem (1). Similiter nos ab εἰκασίᾳ, quo animi statu pristinae isti captivorum conditioni simillimi sumus (quippe inanes etiam umbras rerum, quas oratores maxime et poëtae oculis nostris obfundunt, adspectantes (2)), oportet animum erigere ad πίστιν, quae ex rerum ipsarum nascitur contemplatione (3). Verum sic tamen nondum ad *scientiam* (ἐπιστήμην) pervenimus. Quamdiu enim in mundo spectabili versamur, opinione (δόξῃ) ducamur necesse est (4). Jam vero captivorum exemplo, qui e spelunca protrahuntur ad ipsius intuendam solis lucem, e mundo spectabili adscendendum est ad mundi intelligibilis contemplationem, mentis oculo tentandam (5).

Nimirum requiritur primum ardens veritatis amor, quo incensus animus studium adsectatur scientiarum ac disciplinarum, quarum aliae (mitto disciplinas, quas ἀκάθαρτας vocat Plato, medicinam, musicam, reliquas, quae in objectis Empiricis versantur, adeoque, quamvis ad praeparandum ani-

(1) Rep. VII. 515. C. 516. B.—D.
(2) Rep. X. 599. A. 600. E. Cf. Heusd. op. l. T. II. P. III. p. 9. sq.
(3) Rep. VI. 510. A. 511. E.
(4) Rep. V. 476. C. 477. B. 479. E. Phileb. 59. B. Tim. 28. A. 52. A.
(5) Rep. VII. 517. B.

mum valeant, nullam ipsae veritatis speciem continent (1)) Geometria, Arithmetice, Astronomia (2), ad διάνοιαν conducunt animum, in qua consummata nondum consistit cognitio: est enim formis numerorum figurarumque utendum in his disciplinis, ita ut veritatem, quae in solis νοητοῖς inest, non prorsus capiant (3); alia vero omniumque coryphaea, Dialectica (4) ad supremum itineris in mundum intelligibilem suscepti gradum, ad νόησιν, matrem ἐπιστήμης, efferre animum valet (5). Est enim Dialectica, qua evincitur, *essentiam per se* non esse tribuendam rebus, quales sensibus percipiuntur, sed solis competere Ideis, quae in mente nostrâ, Divinae mentis particulâ (6), adsunt et adfuere ante, quam in corporeum hunc carcerem animus includeretur (7). Ideae, Divinâ

(1) Phileb. 55. D. sqq. Cf. Rep. VII. 533. B.

(2) De egregio harum disciplinarum usu ad inveniendum verum v. Rep. VII. 521—530. B.

(3) Rep. VI. 510. D. E. 511. A. C. D. VII. 533. C.

(4) Dialecticae laudibus omnes referti sunt Platonis libri. Multos locos congessit Cl. Richter de Ideis Plat. Lips. 1827. p. 11 in n., quem vide. — Vocatur donum Deorum Phileb. 16. C. Is demum Dialectica natura gaudet, qui συνοπτικὸς est, universas conspicit disciplinas Rep. VII. 537. C. Cf. 534. E.

(5) Rep. VII. 532. A. B.

(6) Rep. X. 611. E.

(7) Cf. celebratissimus Mythus, quem in Phaedro enarravit Plato p. 246 sqq., et disputatio in Phaedone passim. — *Corpus animi carcerem esse*, sententia veteribus perfamiliaris, tum praesertim Platoni. Cf. Cratyl. 400. C. Phaed. 62. B. et Wyttenb. ad h. l. Propterea corpus σῶμα tanquam σῆμα vocari dicebatur. Cf. Cratyl. l. l. Gorg. 493. A.

igitur origine natae, formae seu species rerum sunt, animo insitae, ad quarum rationem spectabiles res sunt efformatae, quae itaque non nisi simulacra sunt Idearum, ad harum similitudinem, quantum permittebat materiei inconstantia, a mundi auctore redacta (1). Si igitur de verâ rerum naturâ certiores esse velimus, non res externae, sed ipsae ideae attendendae sunt (2).

Quod si vitae usum spectes, est ipsius Dei exemplo insistendum, et ad Idearum, quas mente comprehendimus, similitudinem, omnia effingenda sunt, informanda, componenda: sic v. g. artifex lectum fabricat ad divinum lecti exemplar, ad lecti ideam, quam quidem ideam nequaquam ipse fecit (3). Verum maxime in cogitando et judicando oportet principes ipsas, quae menti insunt, intueri ideas, ipsum τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ δίκαιον, τὸ ὅσιον: quaeque maxime cum his conveniant, optimo jure erunt pulcra, bona, justa et sancta dicenda (4).

Adsimilat ergo ideas, sive veritatem, quae ideis continetur, lumini illi in speluncâ splendenti, a

---

(1) Parmen. 132. D. Tim. 48. E.

(2) Rep. VI. 508. C. Cf. Cl. Borger Verhand. uitgeg. door Teyler's Godgel. Genootsch. D. XXVI. p. 47 enz.

(3) Rep. X. 596. B. Exemplum, quod h. l. datur, non ad amussim est exigendum. Significat auctor artificem non fabricasse eam notarum congeriem, quarum quo plures imitando res facta exprimat, eo perfectior est. Cf. Cic. Orat. C. 2, 3.

(4) Phaed. 100. C. D. Rep. VI. 484. C. D.

quo omnia, quae videntur, speciem suam accipiant. Sed aeque ac omne lumen a sole pendet, auctore omnium et moderatore, quae in mundo adspectabili cernuntur, ita inter ideas dominatur omnes ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα, quae menti primarie indit cognitionem (ἐπιστήμην), rebus veritatem (ἀλήθειαν) (1): hanc ideam contemplentur omnes necesse est, qui sive privatim sive publice sapienter agere velint (2). Haec idea boni qualis sit intelligenda, num ipsum numen, an exemplum potius, ad quod mundum effinxerit Deus, hîc quaerere non attinet, neque cum ullo fructu quaereretur (3). Est certe summum principium philosophiae Platonicae, verum ita metaphoris et similitudinibus expressum, ut jam vetus de obscuritate, quin imo inanitate hujus disciplinae sit Aristotelis querela (4).

---

(1) Rep. VI. 508. E.

(2) Rep. VII. 517. B. C. *Τὰ δ'οὖν ἐμοὶ φαινόμενα οὕτω φαίνεται, ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ ξυλλογιστέα εἶναι, ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία, ἔν τε ὁρατῷ φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα ἔν τε νοητῷ αὐτὴ κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη, καὶ ὅτι δεῖ ταύτην ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ.*

(3) Priorem sententiam amplexi sunt omnes fere Platonis interpretes, Tiedemann Dialog. Arg. p. 209 sqq., Morgenstern de Plat. Rep. Comm. tres. Hal. 1794. p. 154, Tennemann Gesch. der Phil. II. 382 sqq., Richter de Ideis Plat. p. 78 sqq., alii. — Alteri tamen favet Heusd. o. l. II. III. 59, 88 sqq. — Cf. etiam J. Tideman Dissert. de Deo Plat. Amstel. 1830. p. 89.

(4) De universâ Idearum diciplinâ, quam quovis loco carpit, ita fere pronunciat Arist. Metaph. I. 7. p. 853. A, cu-

jus

Neque magis hic eorum sententiam tentabimus, qui statuant, in institutione privatâ multo perspicacius et copiosius hanc Platonem tractavisse de ideis doctrinam (1). Videamus potius, quodnam sit pretium huic verum inveniendi disciplinae statuendum, et quomodo cum Ethica Platonis cohaereat.

Omnis veritas, omnis virtus, omnis felicitas con-

---

jus tamen judicio in hac re non nimis esse tribuendum copiose et acute monuerunt Richter o. l. passim (v. pp. 33 [illegible], 65, 74, 84) et Trendelenburg Plat. de Num. et Ideis doctr. ex Arist. illustr. Lips. 1826.

(1) Tennemann Gesch. der Phil. II. 205—222. Nititur haec opinio tum locis Platonicis quibusdam, quibus integram cum colloquentibus sententiam communicare Philosophus velle se negat, tum ἀγράφων δογμάτων ab Aristotele aliisque facta mentione. Quod ad illos locos attinet, quibus permultos Tennem. addere potuisset, partim eo explicantur universe, quod perdifficile judicaverit philosophus multa argumenta, imprimis quae res divinas spectarent, etiamsi intelligantur, confabulando sive magis etiam scribendo declarare, partim ex disputandi opportunitate sive temporis angustiis sive aliunde circumscriptâ nimis, quam ut gravior et amplior disputatio institueretur. De Simplicii et Suidae testimoniis sileo, praesertim quum ipsa, quam Aristoteles facit (Phys. IV. 2), operis Platonici mentio adeo nuda et projecta est, ut magnifice de eo sentire incongruum videatur. Quid, quod Aristoteles, qui ubivis laudat notatve Platonica, nuspiam alicujus opinionis mentionem injiciat, quae ex Esotericâ istâ disciplinâ petita sit, frustraque in scriptis iis, quae ad nos pervenere, quaeratur? Unicus enim locus Arist. (Eth. ad Nicom. I. 2. p. 5. Εὖ γὰρ καὶ Πλάτων ἠπόρει τοῦτο καὶ ἐζήτει, πότερον ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, ἢ ἐπὶ τὰς ἀρχάς ἐστιν ἡ ὁδός), quo hoc efficere studet vir Cl., non dubito quin ductus sit e libro de Rep. VI. 510. B. 511. B.—D. ceterumque explicatur satis universâ Platonis disputandi ratione.

sistunt in perfectâ convenientia cum τῇ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέᾳ, in qua scilicet ipsae καθ'αὑτας insunt. Hujus ἀγαθοῦ perfectum exemplar Deus est, cui igitur ut quam simillimi evadamus, summopere enitendum (1). Perfectam cum supremo numine convenientiam, nimis verecunde de hominis facultatibus existimabat Plato, quam quod unquam adtingere posse homines suspicaretur. Sed ut quam proxime accedant ad eam, haec cura praecipue mandata est legislatori, cui non solum civitatis constituendae munus, sed privatorum hominum ad virtutem educandorum officium committitur (2); in quo, si rem suam rite aggrediatur, consummati philosophi imago cernitur (3). Oportet hunc, ut civitatem beatam reddat, ad supremam boni ideam attendere, cujus qui ignarus sit, reliqua bona et justa, pulcra et sancta, recte assequi nunquam valebit (4). Primum autem requiritur, ut ad instar pictoris, qui tabulam ante lustrat maculisque reddit puram, quam ad novum se opus accingat, civitatem liberet vitiis ac falsis opinionibus, et praeparet animos ad novam lucem accipiendam,

---

(1) Theaet. 176. B.... ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι κ. τ. λ. Rep. X. 613. A. Legg. IV. 716. B. C. Cf. Celeb. Wyttenb. Anim. ad Plut. de S. N. V. p. 27 sq.

(2) Legg. VI. 780. A. IX. 857. E. 859. A. Polit. 308. D. E. 309. D.

(3) Rep. V. 473. D. VI. 501. D. E. VII. 519. B. D. Polit. passim. Cf. Ast. Plat. Leb. p. 235.

(4) Rep. VI. 505. A. B. 506. A.

semper eaedem sunt atque immutabiles. Omnis igitur dissensus inter homines de eo, quod justum, quod pulcrum, quod bonum est, a diversis gradibus pendet, quibus distent quique a summo *νοήσεως* fastigio. Atqui proximus sibi videtur quisque. Aut si requiris modestiam, quem opinari debemus accessisse proxime?

Scio objecturam iri Platonis verecundiam, significationem philosophiae, quae non sapientiam denotat, sed studium sapientiae, plura: quo titulo multa et egregia et maxime memoranda protulerunt Heusdius (1) aliique Platonis interpretes. Mihi tamen, ingenue fateor, nequaquam satisfecerunt. Quod *verum* subtiliter distinguitur a *veri scientia*, quod *verum* vocatur *τὸ ὄν*, oppositum illi, *quod videtur*, quod *vera* ea sunt, quae assequimur ipsâ *mente*, quod *justa*, quae cum ipso *justo*, *pulcra*, quae cum ipso *pulcro* conveniunt, arrideat iis, qui aliquid ex his profecisse sibi videantur. Equidem nihil deprehendisse mihi videor, nisi verborum definitionem aut transmutationem potius, iterum verba tantum. Quid est, quod sciamus verum esse *τὸ ὄντως ὄν*, non *τὸ φαινόμενον*, si aeque *τὰ ὄντα* cognitu difficilia sunt, ac vera? Quid, quod sciamus justa esse

(1) Cf. v. c. Heusd. II. III. 219 sqq. Maximopere doleo nondum eam partem prodiisse operis Heusdiani, quae Platonis disciplinam complectatur de *justo*. Quantum enim e viri praeclari, quem suum esse gloriatur patria nostra, proficere potuissem hujus loci expositione, aegre persentio.

ὁμοιώματα τοῦ δικαίου, si aeque in δικαίου ignorantia versari oportet? Verba sunt, semper verba. Multo plura dare potuisset Plato, ut tamen proficeremus nihil magis. Quid igitur? Num absurde absolutae requiro veritatis manifestationem, quae humano opere nullo proditur? Minime gentium. Sed velim (quod audacius a juvene dictum sit: at nequeo prae veritatis amore reticere sententiam; erroris lubentissime convincar) velim, acceptâ semel Platonis conjecturâ, eam sibi ceteroquin constare, neque nos deserere tunc, quum maxime auxilio opus sit. Verum, ubi eo pervenerimus, ut rejectis opinionum commentis, νοητὸν mundum adspicere atque ipsas ideas contemplari velimus, nullum criterium suppeditatur, quo novimus, utrum recte isto officio defungamur: semper metuendum est ne pro Junone amplectamur nubem.

Ipsâ enim acceptâ idearum doctrinâ, contendentibus, ut earum rite perdiscamus naturam, quis opitulabitur? — Dialectica. — Multum juvat et diversos scilicet indicat gradus, quibus adscendimus ad veri cognitionem: at vero, si dialectica posset, quo quisque intervallo distet a vero, et cui potior igitur habenda sit fides, ostendere, monstraret simul veritatem ipsam (1). Tantum vero ex ipsâ Platonis sententiâ non valet. Tendat quis igitur ad idearum naturam: nunquam certior fit,

(1) Verissime Arist. Rhet. I. 1. p. 514. *τό τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν κ. τ. λ.*

utrum eam attigerit. Percipit se propius accessisse, quam eum, qui aut rerum umbras tantum videt, aut ipsas res adspectabiles cernit, aut formis numerorum ac figurarum utitur, sed quo iis antecedere se putabit, qui etiam conantur ipsas contemplari ideas? conantur, inquam: in studio quippe sistendum. Num vere contemplaris, ἀπορεῖς semper.

Verum, dicet fortasse aliquis, a dialecticâ petis, quod nequaquam, neque secundum ipsius Platonis mentem, ab eâ exspectari potest. Dialecticae non officium est, ut doceat veritatem, sed solummodo ut aptiores reddat homines ad verum inveniendum, non ut monstret nobis et describat et definiat ideas, sed ut persuadeat nobis, rejecto sensuum testimonio, ideas, tamquam τὰ ὄντως ὄντα solas considerandas esse, si veritatem quis assequi cupiat. Ipsas ideas autem, quales sunt, novimus recordatione. Quum enim Deus, quantum fieri poterat, res effecerit ad similitudinem cum perfectis rerum speciebus, quae ipsius menti inerant, nostra mens, quae e divinâ producta est, adeoque, antequam in hoc nostrum corpus dimitteretur, perfectas eas cognoverat species, adspectabiles res intuens, signa iis impressa (1) deprehendit naturae sibi haud incognitae et sic earum specierum (idearum) memor fit, sibique iterum eas repraesentat (2). Haec recordatio non solis

(1) Cf. Phileb. 39. B.
(2) Phaedr. 246. C. sqq. Phaed. 72. E. sqq. Meno 81. E. sqq.

in visis obtinet, sed in iis formis etiam, quas quasi intus nobis obfert imaginatio, quasque cogitando effingimus ipsi (1). — Credo equidem etiam hanc vere esse Platonis sententiam, neque, quamvis mytho praecipue continetur, poëtico ornatui esse accensendam. Sed non video, quid profecerim. Num indistincte omnes existimabo idearum memores fieri, qui, res creatas adspicientes, veram earum essentiam e pristino illo statu sibi videntur in memoriam revocare? Si hoc admittam, quum ideae semper eaedem sint et immutabiles, perfectam omnes nanciscentur veri scientiam, omnis tolletur dissensus. At hoc nequaquam contingere videmus, illud humanam naturam superat. Quid igitur? Quis verissime recordatur? Iterumne, ut hoc dijudicemus, ad dialecticam recurrendum erit (2)? At vidimus, quam parum hac in re praestet. Quid tandem superest nobis? Internus forte veritatis sensus, qualem et olim et recentiori tempore somniarunt philosophi? At est hic et a Platonis disciplinâ rationali perquam alienus et eandem sua vice praebebit difficultatem.

Videtur igitur, ut comparando exprimamus judicium nostrum, Platonis doctrina simillima viae, quae principio una et simplex est, ita ut aequabiliter et conjunctim omnes ea progredi possint;

---

(1) Meno 81. C.

(2) Meno 98. A. ipsa reminiscentia (ἀνάμνησις) vocatur λογισμός, cujus vinculo efficitur, scientias fieri, quae ante non nisi opiniones fuerant.

quae autem, ubi eo perventum est, ut communem itineris suscepti finem viatores suspicere sibi videantur, statim in tot diversas sentinas producitur, quot viatores numero sunt, incerti semper, si utique procedere audeant, utrum convenientem inierint viam, nec ne; quantum a fine distent, a quo quovis passu aberrant forsan longius; et qualem iis tribuere fidem debeant, qui aliis sentinis incedentes, ad se ipsos advocent, se finem adspicere clamitantes: nimirum semel et bis decepti, etiam aliis fidem negabunt, quam sibi tribuere ipsi non audent. In media via veritatis studiosus relinquitur: unde ab ipso Platone non incongrue philosophus dicitur *μεταξὺ σοφοῦ καὶ ἀμαθοῦς* (1).

Quod si rem referre mavis ad probabilitatem, quam posteriores retinuerunt Academici, qui Carneadem secuti sunt, nihil profeceris: probabile enim non est id, quod proxime accedit ad verum, sed accedere *videtur* (2): videtur autem sola opinione, quam recusandam duxit Plato. Eadem igitur habetur difficultas. Idearum autem nullus

---

(1) Sympos. 204. B. Quod antiquitus in ipsa Socratica disciplina idem improbabatur, patet e Clitophonte, imperfecto dialogo, qui olim falso Platoni adscribebatur.

(2) Hanc subjectivam *probabilitatis* notionem plurimae linguae probe consignarunt. Testis sit Graecorum *πιθανὸς*, imprimis vero Nostratium et Germanorum *waarschijnlijk*, *wahrscheinlich*. Quin Latinorum *verosimile* in suam linguam recipientes accuratius expresserunt Francogalli *vraisemblable*.

usus est in inquirendo, quid proxime a vero absit: velle enim ideis uti, ubi de recto idearum adspectu ipsa omnis quaestio movetur, absurda *petitio principii* foret.

Non disputavimus haec ut infringeremus criterium veri, quod Plato proposuit. Sed accipiatur licet, observatur in philosophia Platonis idem, quod in quâvis fere evenit doctrinâ morali, notiones universas, cogitandi normas, principia, quamvis universis eadem esse data videantur, apud singulos diversam parere rerum notitiam, et a philosopho non nisi fundamentum dari, quo quisque, et suo jure quidem, maxime differens ac dissimile aedificium exstruat. — Omnia justa sunt, quae conveniunt cum ipso justo (*δικαίῳ καθ᾽αὑτὸ ὄντι*), ideâ animo insitâ. — Est systematica forma, constituitur certus modus, quo distinguantur justa ab injustis, tum etiam a pulcris, taetris, reliquis. Verum utinam convenientiae illius exstaret probatio! Utinam, nisi plane eam attingere possimus, recte sciremus, quid magis minusve consentiat (1). At suis qualibuscunque ducitur quisque momentis in symmetria ista aestimanda; defertur, non directâ disciplinae *lege*, sed ipso *facto*, legislatoris menti fortasse plane incongruo, necesse defertur ad sin-

---

(1) Aristoteles frequenter neque immerito, ut videtur, in Platonis disciplina hoc reprehendit v. c. Metaph. I. 6. p. 848. *Κατὰ μέθεξιν γὰρ εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων ὁμώνυμα τοῖς εἴδεσιν — τὴν μέντοι γε μέθεξιν — ἥτις ἂν εἴη τῶν εἰδῶν, ἀφεῖσαν ἐν κοινῷ* (Plato et Pythag.) *ζητεῖν*·

utrum eam attigerit. Percipit se propius accessisse, quam eum, qui aut rerum umbras tantum videt, aut ipsas res adspectabiles cernit, aut formis numerorum ac figurarum utitur, sed quo iis antecedere se putabit, qui etiam conantur ipsas contemplari ideas? conantur, inquam: in studio quippe sistendum. Num vere contemplaris, ἀπορεῖς semper.

Verum, dicet fortasse aliquis, a dialecticâ petis, quod nequaquam, neque secundum ipsius Platonis mentem, ab eâ exspectari potest. Dialecticae non officium est, ut doceat veritatem, sed solummodo ut aptiores reddat homines ad verum inveniendum, non ut monstret nobis et describat et definiat ideas, sed ut persuadeat nobis, rejecto sensuum testimonio, ideas, tamquam τὰ ὄντως ὄντα solas considerandas esse, si veritatem quis assequi cupiat. Ipsas ideas autem, quales sunt, novimus recordatione. Quum enim Deus, quantum fieri poterat, res effecerit ad similitudinem cum perfectis rerum speciebus, quae ipsius menti inerant, nostra mens, quae e divinâ producta est, adeoque, antequam in hoc nostrum corpus dimitteretur, perfectas eas cognoverat species, adspectabiles res intuens, signa iis impressa (1) deprehendit naturae sibi haud incognitae et sic earum specierum (idearum) memor fit, sibique iterum eas repraesentat (2). Haec recordatio non solis

(1) Cf. Phileb. 39. B.
(2) Phaedr. 246. C. sqq. Phaed. 72. E. sqq. Meno 81. E. sqq.

(κρᾶσιν appellat Plato) observatur divini illius exempli, quid intuemur et imitando exprimere studemus ipsiusque actionis objecti. Hanc mixtionem adumbrat philosophus in Philebo praesertim, cujus dialogi conclusio quidem etsi forte non fundamentum habenda sit philosophiae Platonicae moralis (1), tota tamen disputationis ratio, si cum reliquâ Platonis disciplinâ comparatur, indicat, ni fallor, modum, quo etiam in ethicis progrediamur necesse est: ut nempe, veluti mundi opifex huic ordinem ac pulcritudinem addidit finiti atque infiniti mixtione, similiter vitae nostrae verum κόσμον adstruamus (2) recta instituendâ ratione atque adeo operandâ fusione eorum, quae nobis agenda obveniant et praetereant, semper, cum *justo* illo, quod immutabile est et aeternum. Qua ratione scilicet Plato intelligebat hanc mixtionem, patet e praeceptis, quae hujus ordinandae gratiâ memorat (3); quo illis modo ad gravissimas quasque quaestiones illustrandas utebatur, exemplo est universa, cujus ergo institutum perhibetur omne colloquium (4), disputatio de vita beata, quae videlicet conjunctis constat (5) scientiâ, quae eorum est, quae vere sunt (6), et vo-

(1) Heusd. o. l. II. III. 215.
(2) Cf. Gorg. 507. E. 508. A.
(3) Cf. Phileb. 61. B. sqq.
(4) Phileb. 11. B. C. 19. C.—E.
(5) Phileb. 20. B. 21. E. 22. A. 59. D. E. 60. D. E.
(6) Phileb. 58. A. 59. B.

luptate, quae perceptio est ab iis tracta, quae esse tantum videntur (1).

Nolim tamen urgere hanc κράσεως theoriam, ne aliquid concedere videar Neoplatonicorum superstitioni: modo hoc teneamus, praecipuum et supremum disciplinae moralis officium situm esse in adsimilandâ vitâ idearum perfectioni: ne in eorum vitium incidamus, qui aliam dederunt et ab idearum doctrinâ plane sejunctam Platonis ethicam, cui errori committendo quam facile ansa praebetur, cujusque quam prudenter suspicio vitanda est, sequentia nos docebunt.

Ut unquam pulcra mixtio existere possit, seu potius, ut unquam vita recte instituatur secundum divina illa exempla, duo consideranda sunt: τί ποτε ἐν τῷ ἀνθρώπῳ καὶ τῷ παντὶ πέφυκεν ἀγαθὸν, καὶ τίνα ἰδέαν αὐτὴν εἶναί ποτε μαντευτέον (2): primum ipsius hominis natura perspecta esse debet, ut noscatur, qua ratione propositum assequamur, deinde ideae, ac praesertim idea boni, quales sunt, divinandum, ut ipsum, quo tendimus, finem perdiscamus. Mens utramque aggreditur quaestionem (3) et hoc titulo apte comparatur visui, qui, etsi a sole praebeatur occasio videndi, solem nihilominus perlustrat ipsum (4).

(1) Phileb. 32. D. 40. D. E. 53. C. 54. C. D.
(2) Phileb. 63. E.
(3) Phileb. 64. A.
(4) Rep. VI. 507. B. cff. seqq.

Prior illa quaestio est, in qua maxime elucet divinum Platonis ingenium. E Socratis institutione hoc perceperat, in sui ipsius cognitione princeps hominibus ac gravissimum positum esse universae philosophiae officium (1); ipseque semper in veteris illius sapientis effato, γνῶθι σαυτόν, omne collocavit germanae doctrinae fundamentum (2). Non enim sufficit, ut proponamus nobis finem, ad quem si perveneriums, veri simus facti participes; sed insuper requiritur, ut bene nobis persuasum sit, utrum et quânam viâ possimus progredi eo: inquirere in eas facultates oportet, quibus ipsâ naturâ instructi sumus ad adsequendum propositum nostrum, recteque iis utendi modum.

Hanc quaestionem indole suâ primariam Plato opportunitate sermonis de naturâ justitiae instituti eâ ratione dilucidat, quae ipsi ad indagandum facillima, auditoribus autem ad intelligendum aptissima videbatur: nempe, ut, quo modo in homine justitia obtineat, declaraturus, primum inquirat, quo modo in civitate existat: si videlicet dein patebit, iis partibus compositam esse civitatem, quibus accurate respondeant hominum facultates, harum constitutio egregie illustrari poterit ex accommodatâ illarum conjunctione. Hac quippe viâ progredientes, simili commodo utimur eorum, qui non admodum acutis oculis instructi,

(1) Cf. Xenoph. Mem. IV. 2. 24.
(2) Alcib. I. 124. B. et passim. Charm. 164. D. E. Phileb. 48. C. Legg. XI. 923. A.

quae, minutis literis conscripta, longo intervallo exhibentur lectu, eadem prius inspiciant in majori tabulâ grandioribus literis proposita, quibus inspectis, haud difficilē erit de minusculis istis literis aequum ferre judicium (1). Videndum igitur, quid sit civitas e mente Platonis, et quibus partibus constet. Quaestionem de origine ejus infra tangemus. Hoc autem in re praesenti animadvertendum est, Platonem hoc loco non absolute monere de primâ hominum societate, sed de quorumdam hominum conjunctione aliquâ, qualis, alibi jam conditis urbibus et vigente civitatis ratione, necesse obtinere debeat (2): tum etiam non solum disputare de mutuo commercio eorum, qui primi civitate illâ continentur, sed de rebus etiam iis, quae singulorum sive indigentiâ sive voluptate necesse usu veniunt: etenim, ut recte cerni possit, quo modo justitia et injustitia oboriantur, non sola est civitatis attendenda notio, sed delicatae civitatis, quales omnino evadere solent (3).

(1) Rep. II. 368. C—E. Cf. IV. 434. B. 435. A. B. sqq. IX. 545. B.

(2) Cf. Rep. II. 370. E.

(3) Rep. II. 372. D. E. καὶ ὅς, Εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ὦ Σώκρατες, ἔφη, κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτὰς ἄλλο ἢ ταῦτα ἐχόρταζες; Ἀλλὰ πῶς χρή, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Γλαύκων; Ἅπερ νομίζεται, ἔφη· ἐπί τε κλινῶν κατακεῖσθαι, ... Εἶεν, ἦν δ' ἐγώ, μανθάνω· οὐ πόλιν, ὡς ἔοικε, σκοποῦμεν μόνον ὅπως γίγνεται, αλλὰ καὶ τρυφῶσαν πόλιν· ἴσως οὖν οὐδὲ κακῶς ἔχει· σκοποῦντες γὰρ καὶ τοιαύτην τάχ' ἂν κατίδοιμεν τήν τε δικαιοσύνην καὶ ἀδικίαν, ὅπῃ ποτὲ ταῖς πόλεσιν ἐμφύονται. ἡ μὲν οὖν ἀληθινὴ πό-

In tali autem civitate necesse est tria existant hominum genera (εἴδη), χρηματιστικόν, agricolarum et operariorum, qui, quae pertinent ad hominum victum, vestitum similiaque parent (1), ἐπικουρικόν, militum, qui defendant civitatem fores contra hostes atque intus contra legum obtrectatores (2), et φυλακικόν, imperantium, qui administrando omnibus civibus prosint (3). Omnis civitas his tribus ordinibus constat: sed ut hominis cum ejus comparari possit natura, supponendum est quemque ordinem, quod sibi committitur munus, id recte posse implere (4): militibus adeo, inprimisque iis, qui propter generosiorem indolem eliguntur ex illis ad eximiam civitatis φυλακήν, imperantibus, idonea danda est educatio (5): quae si data est, cernitur primo jam in

---

πόλις δοκεῖ μοι εἶναι, ἥν διεληλύθαμεν, ὥσπερ ὑγιής τις· εἰ δ᾽αὖ βούλεσθε καὶ φλεγμαίνουσαν πόλιν θεωρήσωμεν οὐδὲν ἀποκωλύει. ταῦτα γάρ δή τισιν, ὡς δοκεῖ, οὐκ ἐξαρκέσει κ. τ. λ.

(1) Rep. II. 370. C. sqq. 373. B—D.

(2) Rep. II. 373. D. sqq. Cf. III. 414. B.

(3) Rep. III. 412. B. sqq.

(4) Rep. IV. 433. A.

(5) Quae Rep. II. 376. C. sqq. et L. III. dantur educandorum φυλάκων praecepta, non ad solos milites spectant, quamvis hi disputationis initio φύλακες appellentur (cf. Rep. IV. 414. B.), sed, excluso tertio ordine, ad meliores cives universe. Imperantes vero, qui postea, militibus ἐπικούρων sive βοηθῶν nomine tributo, φύλακες dicuntur, praeterea multifariam exercendi sunt (Rep. III. 412. E. sqq.) et imprimis scientiis instituendi ac disciplinis, quibus veram et sinceram boni notitiam adsequantur Rep. VI. 503. E. sqq.

civitate *sapientia*, propter eam scil. ipsius partem, quae imperat (1); deinde *fortitudo*, propter eam partem, quae militat ac pugnat pro ea (2); tum *temperantia* propter nobilioris et deterioris partium concentum de eo, utri imperium sit concedendum (3). Quaenam autem civitatis *justitia* sit, qua in re quaestionis praecipue cardo versabatur, prioribus jam implicite declaratum est, suo cuique ordini praescripto munere (4). Inest enim in cujusque generis tum operarii, tum militaris, tum custodis *οἰκειοπραγίᾳ*, proprii officii functione, ab aliorum re agendâ quam maxime abhorrente (5). Nimirum, si suum quaque agit, coöperabunt variae partes ad civitatis salutem (6).

Jam, quae in civitate justitia sit, novimus. Ut autem, quaenam sit in homine existimanda, videamus, ipsa natura hominis consideranda videtur, quâ perspectâ si totidem *εἴδη* civitatis *εἴδεσι* plane respondentia observentur, comparando facile quaestio dirimi poterit (7). Quod autem res

---

(1) Rep. IV. 428. A.—E.
(2) Rep. IV. 429. A. — 430. C.
(3) Rep. IV. 430. D. — 432. A.
(4) Rep. IV. 432. D. E.
(5) Rep. IV. 433. A. — 434. C., quo loco haec datur argumentationis conclusio: *χρηματιστικοῦ, ἐπικουρικοῦ, φυλακικοῦ γένους οἰκειοπραγία, ἑκάστου τούτων τὸ ἑαυτοῦ πράττοντος ἐν πόλει ...... δικαιοσύνη τ᾽ ἂν εἴη καὶ τὴν πόλιν δικαίαν παρέχοι.* Sed legenda tota disputatio h. l. cit.
(6) Rep. IV. 433. C. Cf. Alcib. 1. 127. B.
(7) Rep. IV. 434. E.

ita se habet, manifestum est: quo enim modo haec *εἴδη* et *ἤθη* in civitatem irrepsissent, nisi ex singulorum hominum conditione profecta (1). Verum enim vero apparent etiam, disquisitione recte institutâ, velut in quavis civitate, ita in quoque homine tria haec simul exstantia (2), *ἐπιθυμητικὸν*, quod *χρηματιστικῷ*, *θυμοειδὲς*, quod *ἐπικουρικῷ* et *λογιστικὸν*, quod *φυλακικῷ* generi diserte convenit. Veluti autem civitatis justitia posita erat in cujusque generis *οἰκειοπραγίᾳ*, similiter hominis justitia ea est, quâ quaeque pars suum agat, atque ab aliarum munere abstineat: quâ rationalis pars hominis imperet; ea, quae irae particeps est, auxilietur rationi legesque ab ipsâ datas defendat; ea tandem, quae voluptates parit atque aviditatem, rationi indistincte obediat (3). Quod autem *injustitia* tum in civitate tum in homine nihil est nisi partis alicujus *ἀλλοτριοπραγμοσύνη*, in aperto est (4).

---

(1) Rep. IV. 435. E. *οὐ γάρ που ἄλλοθεν ἐκεῖσε ἀφῖκται κ. τ. λ.*

(2) Rep. IV. 436. A. B. 441. C.

(3) Rep. IV. 441. E. sqq.

(4) Rep. IV. 434. B. C. 444. A. B. *Μετὰ γὰρ τοῦτο σκεπτέον, οἶμαι, ἀδικίαν. Δῆλον ὅτι. Οὐκοῦν στάσιν τινὰ αὖ τριῶν ὄντων τούτων δεῖ αὐτὴν εἶναι καὶ πολυπραγμοσύνην καὶ ἀλλοτριοπραγμοσύνην καὶ ἐπανάστασιν μέρους τινὸς τῷ ὅλῳ τῆς ψυχῆς, ἵν᾽ ἄρχῃ ἐν αὐτῇ οὐ προςῆκον, ἀλλὰ τοιούτου ὄντος φύσει οἵου πρέπειν αὐτῷ δουλεύειν τῷ τοῦ ἀρχικοῦ γένους ὄντι; τοιαῦτ᾽ ἄττα, οἶμαι, φήσομεν καὶ τὴν τούτων ταραχὴν καὶ πλάνην εἶναι, τήν τε ἀδικίαν καὶ ἀκολασίαν καὶ δειλίαν καὶ ἀμαθίαν καὶ ξυλλήβδην πᾶσαν κακίαν.*

utrum eam attigerit. Percipit se propius accessisse, quam eum, qui aut rerum umbras tantum videt, aut ipsas res adspectabiles cernit, aut formis numerorum ac figurarum utitur, sed quo iis antecedere se putabit, qui etiam conantur ipsas contemplari ideas? conantur, inquam: in studio quippe sistendum. Num vere contemplaris, ἀπορεῖς semper.

Verum, dicet fortasse aliquis, a dialecticâ petis, quod nequaquam, neque secundum ipsius Platonis mentem, ab eâ exspectari potest. Dialecticae non officium est, ut doceat veritatem, sed solummodo ut aptiores reddat homines ad verum inveniendum, non ut monstret nobis et describat et definiat ideas, sed ut persuadeat nobis, rejecto sensuum testimonio, ideas, tamquam τὰ ὄντως ὄντα solas considerandas esse, si veritatem quis assequi cupiat. Ipsas ideas autem, quales sunt, novimus recordatione. Quum enim Deus, quantum fieri poterat, res effecerit ad similitudinem cum perfectis rerum speciebus, quae ipsius menti inerant, nostra mens, quae e divinâ producta est, adeoque, antequam in hoc nostrum corpus dimitteretur, perfectas eas cognoverat species, adspectabiles res intuens, signa iis impressa (1) deprehendit naturae sibi haud incognitae et sic earum specierum (idearum) memor fit, sibique iterum eas repraesentat (2). Haec recordatio non solis

(1) Cf. Phileb. 39. B.

(2) Phaedr. 246. C. sqq. Phaed. 72. E. sqq. Meno 81. E. sqq.

improbabilem profecto: si vero putares, hanc propriam esse ac consummatam Platonis ethicam, hanc eximie doctrinam esse, quâ ab antiquioribus ac recentioribus philosophis distinguendus sit, in gravem, ni fallor, incideres errorem. Enimvero videndum est, quo consilio illa disputata sint, ut justum iis pretium statuatur.

Thrasymachus justitiam adortus, quam Socrates collocaverat in observantiâ legum (1), eam nihil esse contenderat, nisi *τοῦ κρείττονος συμφέρον*, id quod conducit potentiori. Hi enim leges ferentes suam aperte spectant utilitatem, ita ut justitia, quae legibus istis morem gerit, *ἀλλότριον ἀγαθὸν*, *οἰκεία* vero *βλάβη* habenda sit (2). Post provinciam hanc non admodum strenue defensam, Socrates iterum interpellatur a Glaucone et Adimanto fratribus, qui non inficiantur vulgarem illam suis temporibus orationem de justitiae incommodis sibi esse permolestam, quippe quam non satis arguere posse sibi videantur et petunt ab ipso, ut probet justum hominem, etiamsi ab omnibus injustus habeatur, feliciorem esse injusto homine, qui apud omnes perhibetur justus: brevi, utique justitiam propter se ipsam esse excolendam (3). Jam Socrates incipit studiosius propulsare Sophistarum aggressionem, docetque eorum qui imperarent illam utilitatem, eorumque qui pa-

(1) Rep. I. 339. B.
(2) Rep. I. 338. C. sqq. 343. B. C.
(3) Rep. II. 357. B. 358. B. D. 362. D. 365. A. cet.

rerent noxam, quas cum justitiâ conjunxerat Thrasymachus, in civitate bene constituta neutiquam locum habere, in quâ omnium simul commodo prospicitur (1); simulque, ut recte de omni hac quaestione judicetur, proponit, quae nondum exposita erat, justitiae, qualis per se est, notionem, eam tamen, quam non facile vel ipsi Sophistae recusare possent, productam scil. ex ipsâ naturâ ac necessariâ vitae socialis ratione; eandemque porro ad singulos homines refert ita, ut eâ vere propositâ, ridiculum putet Glauco amplius efficacitatem demonstrare justitiae ad vitam bene beateque instituendam (2).

Haec igitur disputatio non habita est, ut summa doctrinae moralis principia exponerentur, sed primarium illius consilium fuit, ut solitis Sophistarum argutiis et cavillationibus obviam iretur. Inepte prorsus hoc loco enucleata fuisset sublimior illa Platonis doctrina, quae non, velut Socratica, quae Memorabilium libris continetur, diserte opposita erat placitis Sophistarum, sed in plane diverso campo vagabatur et ab omni istâ philosophiae tractandae ratione perquam alieno.

(1) Rep. IV. 420. B. V. 466. A. Eo praeterea omnem Thrasymachei argumenti vim infringit, quod nulla imperantibus neque militibus privata bona concedit, L. III. 416. B. μὴ ἀντὶ ξυμμάχων εὐμενῶν δεσπόταις ἀγρίοις ἀφομοιωθῶσιν. Propria igitur principum utilitas, quam constituendi juris causam ille dixerat, nequaquam in censum veniebat.

(2) Rep. IV. 445. A. B.

Nequaquam tamen haec *subjectiva* virtutis et justitiae descriptio, quae Sophistarum ratiocinationi opponitur, tamquam incongrua consideranda est reliquae Platonis disciplinae: quin continet simul in *objectivam* illam Idearum doctrinam, quatenus ad vitae usum adhiberi debeat, plenissimam introductionem. Ut enim in philosophia theoretica Platonis παιδείᾳ opus est, qua doceamur, quodnam organon vere *cognoscendi* facultatem habeat, quibusque scientiis ac disciplinis ideo imbui debeat; ita in philosophiâ practicâ recta earum partium, quae diversa *appetendi* facultate utuntur, constitutio requiritur, antequam ad speciales agendi leges procedere oporteat (1). Non igitur constitutio ea finis, sed simiter ac παιδεία, medium, quod dicunt, putanda est, quo usi ad finem tendere debeamus. Propterea enim tum in civitate, tum in singulis hominibus hoc primo loco efficiendum est, ut rationalis pars imperet, quod haec sola verum agnoscere et agendi normam praescribere potest: in civitate philosophi sunt (2), in homine ratio est, quibus tamquam instrumentis ipsae spectantur ideae, ipsum pulcrum, bonum, justum et sanctum. Quam igitur Plato pri-

(1) Cf. Rep. IV. 443. D. E.

(2) Rep. V. 475. E. sqq. 480. VI. 484. B. Celebratissimam Platonis sententiam, nullam civitatibus fore malorum requiem, nisi philosophis imperium committatur (Rep. V. 473. D.), inepte multi mirati sunt, cum necesse profluat e discriptione philosophae indolis, φιλοθεάμονι oppositae ib. 475. C. sqq. Cf. Rep. II. 376. A—C.

oribus Politiae libris describit, ἀρετή, ea est proprie ὑγίειά τέ τις καὶ κάλλος καὶ εὐεξία ψυχῆς (1), quae ante adesse debet, quam animus ad illius boni investigationem atque imitationem aggredi potest, quod, utpote divinum, solum *vere bonum* existimandum est.

Virium illa harmonia, quam vocat Morgensternius, seu potius imperium illud rationis, quod omnibus Platonis libris aeque propugnatur, insignis adeo pars est disciplinae moralis, hujusque quasi continet initia. Sed magnopere cavendum est, ne summum ejus habeatur principium. Ille, qui doctrinam eam de virium concentu rationisque principatu toto amplecteretur animo, neque tamen simul opinaretur rationi petenda esse imitandi exempla ex idearum contemplatione, nae ille inepte sibi videretur Platonicus. Tota refragatur antiquitas. Aequalem Chrysippus et Cleanthes et omnis fere Stoicorum cohors de rationis imperio et virium humanarum concentu sententiam prodiderunt, quos tamen, quaeso, quis Platonicos existimaverit (2)?

---

(1) Rep. IV. 444. D. E. Ipsa videlicet similitudo a corpore ducta declarat philosophi mentem. Sanitas enim facultas est, qua instructum corpus sua peragere possit.

(2) Cf. Diog. L. VII. 87 sqq. Ex eo quippe loco videtur mihi petita, quam dedit Meister Ueber die hohen Verschiedenheit der Philos. im Ursatze der Sittenl. etc. Zullich. 1812 p. 15, definitio *naturae* Chrysippea, cui, ut Stoicus, accommodate vivere praecipiebat »Der Inbegriff und die Harmonie der Kräfte und Eigenschaften der Menschheit".

Sit itaque justus homo, qui ita constitutus est, ut nullâ sive dominante irâ sive flagrante cupiditate prohibeatur, quo minus intueri ipsum τὸ δίκαιον et imitando exprimere conetur. Sic rursus dejicimur in difficultatem illam, quam Platonis doctrinae inhaerere querebamur. Quo modo homo certior fit, utrum ideam, in quâ solâ justitia vere inest, recte imitetur? Appetitus quidem rationalis circa ea est, quae naturâ suâ vere bona sunt: haec autem antea cognita esse debent recordantis mentis functione. Quid erit criterium? At, dicet hic fortasse aliquis, studes difficiliorem, quam oportet quamque ipse Plato voluit, idearum reddere contemplationem: universa tum civitatis tum hominis constitutio specimen praebet, quo modo ad quaestiones practicas applicetur idearum theoria: sunt et civitas et homo ad *divinum justi exemplum* compositi. Videamus. Per se quidem patet Platonem in omni hac disputatione usum esse ideis, sive εἴδεσι potius, communibus rerum notionibus, sine quibus ne ulla cogitatio quidem locum habet. Sed cave, ne eas cum perfectis confundas speciebus, quae menti, ob divinam ipsius originem, insunt (1). Credo etiam saepius indicari notas quasdam, quas in divina justi specie Plato agnoscebat, v. c. naturae omnibus simul prospicientis (2), cuique

(1) Cf. Richter de Id. Plat. p. 27 sqq.
(2) Rep. IV. 420. B. sqq. V. 466. A. VII. 519. E. Cf. Legg. III. 693. D. IV. 715. B.

rei sua tribuentis (1), unius et sibi constantis (2); credo praeterea, summopere studuisse Platonem, ut, quantum res permittebat, civitati suae et homini notas eas, a perfecto ductas exemplo, conciliaret: unde fortasse, civitatis imagine perfectâ, *κατὰ θεόν*, inquit, *τινα εἰς ἀρχὴν καὶ τύπον τῆς δικαιοσύνης κινδυνεύομεν ἐμβεβηκέναι κ. τ. λ.* (3). Sed nihilominus, arbitror, vehementer errarent, qui civitatem aut hominem, quales a Platone finguntur, ipsum *τὸ δίκαιον*, perfectam ideam referre suspicarentur. Civitatis demum notione absolutâ, philosophos Plato jubet in legibus ferendis contemplari ideas (4). Quin etiam, quo modo e pristinae vitae recordatione Plato necessariam petere rationem potuisset, quae in civitate *οὐχ ὑγιεῖ, φλεγμαινούσῃ, τρυφώσῃ* variarum partium esse debet (5)? Illi profecto ordines, imperantium, militum, operariorum, non e consummatâ justi specie in civitatem inferuntur, sed e sollemnibus hujus vitiis originem ducunt (6). Neque magis in hominis constitutione divinum justi exemplum respici poterat: nititur ea plane empiricâ observa-

(1) Rep. II. 370. A. B. IV. 433. E. sqq.
(2) Rep. IV. 422. E. — 423. C. V. 462. A. B. Cf. Legg. V. 739. D.
(3) Rep. IV. 443. B. C.
(4) Rep. VI. 501. A. B.
(5) Rep. II. 372. E.
(6) Infra totum excitabimus locum de primâ hominum in civitatem coitione. Cf. huc interea Arist. Polit. IV. 4. p. 367. B.—D.

tione variarum partium, quibus homo constat, *Τοῦ θυμοειδέος* rationi auxilium praestandi, *τοῦ ἐπιθυμητικοῦ* obediendi officium, quo modo ex ideâ producerentur? Exstant illa scilicet propter corporis et animi conjunctionem, quae non ante hanc vitam nostram locum habuit, ita ut neque illorum mutua ratio ex ideâ justi effici potuerit (1). Minus recte ergo illi vident, qui in Politiae libris suspiciunt justi effigiem. Primum recte ordinata esse debet civitas, recte constitutus homo, ut in hoc ratio, in illa philosophi cernere valeant, quid sit *τὸ ὄντως ὂν καθ' αὑτὸ δίκαιον*. Quae cum ipso convenientia philosophi decreverunt, *justae leges*, quae praecepit ratio, *justa agendi norma* erit. In hac virtutis tum civilis tum privatae delineatione, alte spirantis Ethicae Platonicae summum, ni fallor, principium quaerendum est. — Quantopere autem, quando, constitutâ civitate, contemplari ideas philosophos oportet, idoneum desideretur criterium, ex ipsis praeceptis patet, quae imperantibus Plato de eo dedit, *πῶς διατάξουσιν αὐτὰ γιγνόμενα*, quo modo, positis jam

(1) Nimirum homo, cujus mens divinae mentis particula habenda est, simul iis partibus constat, quae, per se spectatae, a virtute avocant potius, quam ad illam perducunt. Mytho philosophus hoc explicare conatus est, nempe corporis humani fabricam non tribuens summo Deo (quippe tum ipsis Diis similes forent homines Tim. 41. C.) sed minoribus Diis Tim. 42. D. E. sqq. Probe *ipsius justi* naturâ observatâ, multum quidem conferre possumus ad rectam harum partium ordinationem: hâc ipsâ autem nequaquam ideae descriptio exhibetur.

tribus civium ordinibus, et memoratâ ratione conjunctis, reliquam civitatem disponant (1): quae nempe praecepta communem fere cum antiquioris tum recentioris temporis animadversionem sortita sunt ac visa utique ingenium magis referre splendens, quam probabili veritatis specie commendari.

Justam igitur ut agendi normam sibi proponat aliquis, necesse est prius ita constituatur, ut rationi tribuat imperium, iram ipsi auxiliatricem reddat, subditasque cupiditates. Haec sententia si recte intelligetur, immunis apparebit Plato gravissimi erroris, cujus nonnemini visus est contraxisse culpam, quasi scil. liberum arbitrium abstulisset hominibus et judicasset non sponte eos committere malum: quum causa non sit in perversâ voluntate eorum, qui mala appetunt: videntur quippe sibi prosequi bona; sed ab excelsiori hoc pendeat inferiorive loco, quo in eis utitur ratio (2). Sed explicantur omnia optime et disciplinae Platonis aptissime, si officia, in quorum observantiâ cernitur virtus, seu justa voluntatis directio, quaerimus longius paullo et collocamus altius. Quod quisque ea, quae bona sibi videntur, perpetrare conatur, apertum est: nem-

(1) Rep V. 458. B. Huc pertinent placita de munerum mares inter et feminas communicatione, bonorum et liberorum communione, similibus, quae Plato, constitutâ jam civitate, custodes (Philosophos) imperaturos esse docet: quae igitur leges idearum contemplationi originem suam debere consendae sunt.

(2) Tennemann Gesch. der Philos. T. II. p. 495 sqq.

pe bona quisque existimat, quae conducunt sibi (1). Si quis ergo male se gerat, hoc fit inscitiâ sive falsa opinione ejus quod vere bonum est (2). Haec autem ignoratio est nihil aliud, nisi ἡδονῆς ἥττω εἶναι, i. e. pati ut affectibus superetur ratio (3). Gravissimum igitur atque omnium primarium officium est, ita nostras disponere vires, ut quae vere bona sunt, ea appetamus; et quicunque quavis in re delinquat, propriâ culpâ peccat, neglectâ justâ virium suarum temperatione (4). Libertas nobis relicta est eligendi, utrum velimus revereri virtutem i. e. rationi summam tribuere auctoritatem, nec ne: αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος (5).

Socrates justitiam reliquamque omnem virtutem vocaverat scientias, quo id sibi voluit, sufficere ut rite cognoscantur eae, ut probe colantur, quippe unice hominum felicitati inservientes. Plato ipsam mortalium naturam perspici jubebat, quod studium uberrimos necessario proferret virtutis fructus. In Socratis morali disciplinâ adumbrandâ ad utilitatem fere referebamus omnia; in Platonicâ exponendâ ejus vix ullam injecimus mentionem. Hic tamen quod non minus quam ille vitam beatam ob oculos habuerit, patet passim e

---

(1) Sympos. 205. A. 206. A. Hipparch. 227. B. C.
(2) Meno 77. B. — 78. C. Gorg. 468. Protag. 358. C.
(3) Protag. 357. C.—E. Tim. 42. B. Legg. I. 627. A. B.
(4) Legg. IX. 864. A.
(5) Rep. X. 617. E. Cf. II. 380. B. C.

Protagora, Gorgia, Philebo, Politiâ, aliis. Sed Platonis doctrina præ se ferebat veri, *τοῦ ὄντος*, investigationem; non posuit felicitatem in honoribus, magistratibus, probâ existimatione; sed eam habuit, quae non vulgari hominum judicio aestimatur, quâ, suo nomine revera dignâ, justus quisque fruitur, sive ille Deos lateat hominesque, sive minus (1). In tali autem disciplinâ non anxie quaerendum, quis bonorum finis, quantumque momentum illi debeatur ad instituendam vitam. Veritatis enim indagatione universa haec quaestio penitus continetur.

Nostra omnis ferme disputatio de justitiâ e mente Platonis, non ad eam pertinebat stricte sic dictam, sed augustiorem illam, quae reliquis virtutibus *τὴν δύναμιν παρέσχεν, ὥστε ἐγγενέσθαι, καὶ ἐγγενόμενά γε σωτηρίαν παρέχειν, ἕως περ ἂν ἐνῇ* (2). Hanc Plato compellabat plurimum. Neque mirum profecto, quum, quandoquidem quatuor principibus illis ideis, pulcro, bono, justo et sancto perfecta cujusvis generis exempla, imo perfectam veritatem contineri judicabat, justitia necessario ampliorem

(1) Rep. IV. 427. D. 445. A. IX. 580. C. *ἐάν τε λανθάνωσι τοιοῦτοι ὄντες, ἐάν τε μὴ, πάντας ἀνθρώπους τε καὶ θεούς.* X. 613. A. *Οὕτως ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δικαίου ἀνδρὸς, ἐάν τ' ἐν πενίᾳ γίγνηται ἐάν τε ἐν νόσοις, ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι κ. τ. λ.*

(2) Rep. IV. 433. B.

sortiretur significationem, quam quâ in aliorum philosophorum disciplina gaudeat, solummodo ceteris virtutibus (cardinalibus) opposita. Populari suo sensu acceptum, justum est Platoni τὰ προσήκοντα πράττειν περὶ ἀνθρώπους (1); ipsi autem proprie cum quavis re morali conjungitur et opportunam rationem denotat variarum rei partium, quarum suo quaeque ministerio fungantur. Hoc titulo in homine principium est, quo excelsior ejus natura probatur ac componitur ita, ut legibus moralibus, quas idearum contemplatione discit, congrue instituat vitam, quoque removentur simul impedimenta, quae inferiorum partium principatu obtineant: rectissimeque adeo nuncupatur medicina animi (2). Hoc etiam titulo cum civitate, quae modo non germina ferat instantis mox interitus, simul nascitur, mutuo quippe observandam inter eos complectens rationem, qui civitatis vinculo conjuncti sunt (3). Hoc imprimis, quo antiquiores Plato superavit philosophos et recentiores etiam multos, in illa justi notione attendendum est, quod numquam justitia, primariâ sua significatione, rei alicui adtribuitur, cui *adesse* censetur, sed semper designat *rationem inter con-*

(1) Gorg. 507. B.

(2) Gorg. 464. B. et quos ll. citat Wyttenb. ad Plutarch. de S. N. V. Anim. p. 23. Universae philosophiae, quam sui temporis more sapientiam vocabat, hanc laudem tribuerat Democritus. Clem. Alex. Paed. C. 2. V. Heusd. Init. P. I. p. 61.

(3) Rep. II. 371. E. 372. A.

trariae vel *diversae* certe *indolis naturas* vigentem (1).

Causa hujus rationis inter homines stabilitae, causa juris hominibus constituti, causa tandem conditarum civitatum, est ex indigentiâ singulorum repetenda. Nimirum probe distinguenda est a civitatis originibus prima hominum societas. Hanc Plato, veteres traditiones secutus, Divino ac humano generi finxit communem. Regnante Crono, cuivis animantium generi Daemon aliquis praepositus erat; ipsis hominibus curam praestitit Deus. De justi specie tunc temporis nullâ cogitandum, quum neque matrimoniis opus esset, terrâ genitis hominibus, neque educatione; quum necessaria sponte proferret natura, vestitu autem et reliquis praesentis vitae instrumentis nullis indigerent (2). Quum vero ab imperio recessisset Cronus, corporea mundi natura ita divinae, quâcum ab initio erat commixta, dominata est, ut ipse mundus in dissolutionis discrimen adduceretur, donec eum Deus in ordinem quemdam restituerit et mortis senectutisque fecerit expertem (3). Omnia tamen mundi πάθημα secuta erant et jam mutata penitus: generatio et conceptio et nutritio non diutius e terra provenire poterant, sed quem ad

(1) Cf. v. Raumer Geschichtl. Entwickl. der Begr. von Recht, Staat und Polit. p. 4.
(2) Polit. 271. C. — 272. A. Legg. IV. 713. C.—E.
(3) Polit. 272. E. — 273. E.

modum mundus nunc proprii motus dominus constitutus erat, similiter singulae ejus partes jubebantur speciei suae conservandae ac propriae vitae sustentandae curam impendere, sponte nihil amplius proferente terrâ et insuper adeo mutatâ aëris temperie, ut vestitu homines pluribusque hujusmodi indigerent. Neque tamen victus comparandi neque vestitus contexendi facultas aderat. Praeterea, daemonis praesidio destituti, a feris bestiis homines dilacerabantur, quarum erant viribus longe impares. Hac conditione igitur vitam servare non poterant, quapropter ipsos donarint igne Prometheus (1), artibus Vulcanus et Minerva, quae, cum necessariâ simul iis recte utendi disciplinâ, nacti, alimoniae jam homines ac propagationis, mundi instar, ipsi sui curam gerere valuerunt (2). Ab eo autem tempore, quo, mutato mundi ordine, sibi ipsi homines consulere debuere, incipit Jovis regnum (3).

(1) Attendendum est ad differentiam Protagoream narrationem (Protag. 320. C. — 322. E.) inter et Platonicam hujus loci. In Protagora (321. D.) homines, statim ac vitam adipiscantur, igne donat Prometheus, in Politico vixerant jam homines sub Croni imperio. Excludit igitur narratio Sophistae Deorum regnum et continuo fingit homines sibi relictos ipsis. Tum in Protag. ignis et artes non sufficiunt ad defendendam vitam, in Polit. contra ad hunc diserte usum hominibus conciliantur. In Protag. furto ignem et artes aufert Prometheus, in Polit. sponte tribuunt Vulcanus et Minerva. Nullo tandem loco hi duo Mythi conspirant.

(2) Polit. 274. A.—D.

(3) Polit. 272. B.

Statim ad calcem hujus fabulae alius collocandus est mythus, quem enarravit in Critiâ Plato (1). Dii quondam varias terrae regiones sorte inter se diviserunt (2): Vulcanus et Minerva Atticam sortiti sunt, Atlanticam insulam Neptunus (3). Accidisse hoc probabile est continuo quum ignem artesque fuerint homines nacti: accidit certe Jove regnante, quum homines jam ipsos oportebat victus habere rationem (4), quum bella jam oborta erant (5) et politica rerum administratio requirebatur (6), cujus, Saturno imperante, nullus usus fuerat (7). Indigenis Dii posuerunt leges, quibus, ut in Politiae libris factum est (8), naturalis

---

(1) Perhibetur hic mythus ab Aegyptiis sacerdotibus cum Solone, ab hoc rursus cum Critiae avo communicatus. Crit. 108. D. Tim. 20. D. E. 21. C. E. 22. A. sqq. 27. D.

(2) Critias 109. A.

(3) Critias 109. C. 113. C.

(4) Critias 110. C. Saturno regnante hâc curâ exempti fuerant. Polit. 271. E.

(5) Critias 110. B—E. 119. A. B. Etenim quod bellando opportunitas praeberetur, adscribendum est terrae in varias regiones distributioni. Sub Croni regno universa tellus uno imperio constiterat. Polit. l. c.

(6) Critias 109. C. D.

(7) Polit. 272. A.

(8) Critias 110. D. καὶ πάντα δὴ τὰ χθὲς λεχθέντα ἐπιτηδεύματα ἐπιτηδεύοντες, ὅσα περὶ τῶν ὑποτεθέντων ἐρρήθη φυλάκων. Sane hoc loco collato si inspicimus summam disputationis de Politia habitae, quae ab ipso Socrate exhibetur Tim. 17. B. — 19. A, non possumus dubitare, quin ea Politia, quam unâ tetralogiâ conjungere sibi proposuerat cum Timaeo, Critia et Hermocrate (qua in re morte impeditus est: v. Ast. Plat. L. p. 373, 375. Cf. 346 sqq.) non eadem fuerit ac Politia, quae de-

atque adeo justissima inter homines ratio confir-

---

decem libris absoluta ad nos pervenit, sed hujus minorem tantum partem complexa sit: quod videtur mihi adeo perspicuum, ut interpretes Platonis adhuc fugisse summopere mirer. Socrates scilicet rogatus, ut hesternam disputationem summatim repeteret, *χθές που τῶν ὑπ' ἐμοῦ ῥηθέντων λόγων περὶ πολιτείας, ἦν τὸ κεφάλαιον, οἵα τε καὶ ἐξ οἵων ἀνδρῶν ἀρίστη κατεφαίνετ' ἄν μοι γενέσθαι. TI. Καὶ μάλα γε ἡμῖν, ὦ Σώκρατες, ῥηθεῖσα πᾶσι κατὰ νοῦν. ΣΩ. Ἆρ' οὖν οὐ τὸ τῶν γεωργῶν, ὅσαι τε ἄλλαι τέχναι, πρῶτον ἐν αὐτῇ χωρὶς διειλόμεθα ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ τῶν προπολεμησόντων. TI. Ναί.... κ. τ. λ.* Quum igitur iis in memoriam revocarat, quod duxerat pridie a constituendâ civitate initium, reliquas sermonis partes percurrit, de electione et educatione custodum, de ratione nuptiarum, de procreatorum liberorum sorte destinandâ (quae occurrunt in Politiae nostrae L. II. 376. — III. fin. et V. init. — 461, quibus memoratis, *Ἆρ' οὖν*, rogat Timaeum (19. A.), *διεληλύθαμεν ἤδη, καθάπερ χθὲς, ὡς ἐν κεφαλαίοις πάλιν ἐπανελθεῖν; ἢ ποθοῦμεν ἔτι τῶν ῥηθέντων, ὦ φίλε Τίμαιε, ἀπολειπόμενον;* Quibus hic *Οὐδαμῶς*, respondet, *ἀλλ' αὐτὰ ταῦτ' ἦν τὰ λεχθέντα, ὦ Σώκρατες.* Perhibetur igitur tota disputatio hesterna enarrata, nihil praetermissum: et nihilominus nihil monetur de justitiae utilitate, quae quaestio in nostra Politiâ universae disputationi ansam praebuerat, nihil de hominis justitiâ, cujus recte cognoscendae causâ omnis de civitate sermo instituitur, nihil de ideis, quarum tamen tam proxima cum Timaei argumento ratio est, ut in hujus dialogi exordio, earum, si modo potuisset, lubenter meminisset Plato, nihil tandem de imperii formis. Videtur his suspicio nostra satis probata. Sed insuper accedunt nonnulla v. c. quod Socrates amicos suos exhortatur ad ea tractanda, quae pridie iis commissa erant ab iisque suscepta (Tim. 17. B. 20. B. *ἑκὼν δὴ τὰ ἐπιταχθέντα, ἀντεπέταξα ὑμῖν ἃ καὶ νῦν λέγω. ξυνωμολογήσατ' οὖν κοινῇ σκεψάμενοι πρὸς ὑμᾶς αὐτοὺς εἰς νῦν ἀνταποδώσειν μοι τὰ τῶν λόγων ξένια*): horum au-

mabatur, et insuper jubebantur multa ad utili-

---

autem nihil in nostrâ Politiâ reperitur; neque magis aliquid de relegandis malae indolis liberis posteaque, si boni fiant, in patriam revocandis, cujus rei in recensendâ hesternâ oratione Socrates mentionem facit Tim. 19. A. Praeterea de Rep. libri, quorum primarium consilium eo tendit, ut probetur, justitiam conferre ad hominum felicitatem (cf. Morgenstern o. l. Comm. I.) non optime locum inveniunt in ea Dialogorum serie, quae continet Timaeum, Pythagoream expositionem τοῦ κόσμου, et Critiam, politicam tabulam remotissimae antiquitatis: in eâ sola, convenit illa civitatis delineatio, quam solam etiam in Critia citat inque Timaeo recenset Plato. Quae igitur de Politiae, quam nos habemus, tempore conscriptae, e Timaeo Astius aliique conjecerunt, quibusque hic usus est ad operis de Legg. authentiam impugnandam, incerto fundamento superstructa sunt. Fortassis Politia, quae tetralogiae pars fuit, ad hunc usum e majori opere extracta est. Sed ne hac quidem conjecturâ opus est. Verosimilius arbitror absolutum Politiae opus postea completum fuisse e variis scriptis, quae jam pridem Plato ediderat, aut esse certe ampliorem et multum adauctam editionem ejus λόγου περὶ πολιτείας, qui in Timaeo et Critia citatur, quique, ut cum Auli Gellii testimonio componamus conjecturam nostram, *duobus fere libris* constiterit, *qui primi in vulgus exierunt*, quibus lectis Xenophon aggressus est scribere *Κύρου Παιδείαν* (A. Gell. N. A. XIV. 3. Male nonnulli locum referunt v. c. Ast. p. 347, quasi Gellius de primis duobus libris de Rep. loqueretur, quos hic neque nominat, neque si nominasset, fidem mereret: secundo enim libro disputatio renovatur; quae ad finem hujus libri nullo modo confecta est), et ex quibus certe Aristophanes (in Ecclesiaz.) existimandus est arripuisse occasionem ridendi nostrum philosophum. Hanc itaque Politiam, cum Timaeo, Critia et Hermocrate jungendam, hos duos fere libros (locum, quem in nostra Politia occupant, supra citavimus) primos edidit philosophus auxitque postea et majori opere, quo universam philosophiam moralem ample-

tatem subditorum spectantia, ita tamen, ut legi-

---

plexus est, comprehendit. Quod enim in Critia scribendo morte occupatus fuit, hinc nequaquam sequitur, quod voluit Astius, eum senem admodum fuisse, quum reliquos tetralogiae dialogos composuerit. Cur arbitraremur eum continuos absolvisse diversos tetralogiae sermones? Contrarium patet ex iis seriebus, quae imperfectae relictae sunt, quamvis diu ante mortem dialogos conscripsisset, quos earum partem constituere oportebat. V. ipse Ast. p. 238, 274. al. Pluribus id probare possimus, sed nunc haec hactenus. Ceterum quod ex Euphorione et Panaetio apud Diog. L. III. 37. legitur, varie Politiae exordium in variis editionibus fuisse exhibitum, hinc fortasse illustrari potest. Nempe, ratione habita arctae ejus necessitudinis, quae inter diversos dialogos hujus tetralogiae ex dd. ll., quibus adde Tim. 20. D. sqq. et praesertim Tim. 27. A. B., intercessisse patet, absurdum foret statuere in Politia ista nullam fuisse Timaei, Critiae, Hermocratis et quarti illius, qui Timaei initio memoratur, factam mentionem: immo, ut in reliquis sermonibus, putandum est ab his sumptum fuisse orationis certe exordium, eo magis, quum Politia primum locum obtinuerit: hoc exordium, quum reliqua oratio ampliori disputationi ab auctore immixta fuerat, fortasse non statim plane interiit et praebuit probabilem illi narrationi ansam. (Ast. conjicit etiam p. 347 exordium periisse Politiae: recte, opinor, modo haec Politia cogitetur, de qua cum Timaeo reliquisque istis collocutus fingitur Socr. Majus Politiae opus suo gaudet exordio, pulcerrimo quidem, a senectutis excusatione petito). Sed nolim hanc conjecturam urgere, Dionysii Halic. et Quinctiliani, quos ad Diog. Laërt. l. l. citant interpp., absterritus auctoritate: hi enim illam exordii varietatem de paucorum collocatione verborum quorumdam intelligunt. Quidquid sit, nostra animadversio in eo subsistit, quod mirum foret et vero incredibile, in libb. de Rep. cum Socrate colloquentium nullam fieri mentionem, nisi Politia, quam nos habemus, plane diversa sit ab illâ, quam Timaeo et ceteris, qui perhibentur, enarrasse fingitur.

bus semper superiores manerent imperantes atque ex horum arbitrio omnia regerentur (1).

Cum duabus his fabulis, quarum altera solitam aureae aetatis imaginem exhibet, altera primam exponit hominum, in varias regiones a Diis distributorum, vitam, conjungenda est disputatio de imperii vicissitudinibus, quae Legum tertio inserta est (2). Nempe olim sub Croni imperio nulla fuerat juris species; deinde ab aliis etiam Diis ita omnia gubernabantur, ut, quamquam leges positae et judicia instituta fuerint, staret tamen pro ratione voluntas: imperium transtulere in filios suos aut paucissimos viros sapientes, quibuscum disciplinam civilem communicarunt (3): homines autem universe et nullius imperii participes et imperandi artis expertes erant, primum veluti greges a Diis nutriti atque conducti (4), dein quique operi cuidam destinati (5). Eo tempore homines felicissimi fuerunt; sed iterum terrestri ingenio praevalente ac humanis legibus praepollentibus, divina natura recessit et adeo depravata est societas, ut Jupiter, inito cum reliquis Diis

(1) Critias 119. C.
(2) Cf. Legg. III. 677. A. 679. D. E.
(3) Critias 109. D. 112. E. 113. E. — 114. D.
(4) Critias 109. B. C. *Θεοὶ — οἷον νομῆς κτήματα καὶ ποίμνια καὶ θρέμματα ἑαυτῶν ἡμᾶς ἔτρεφον· πλὴν οὐ σώμασι σώματα βιαζόμενοι, καθάπερ ποιμένες κτήνη πληγῇ νέμοντες, ἀλλ᾽ ᾗ μάλιστα εὔστροφον ζῷον.... οὕτως ἄγοντες τὸ θνητὸν ἅμα ἐκυβέρνων.*
(5) Critias 110. B. sqq.

consilio (1), denuo hominum genus tantum non universum exstirpaverit (2).

Homines quidam incompti et montivagi, communi fere cladi superstites (3), propter paucitatem mutuâ se benevolentiâ affecerunt (4), et,

(1) Critias 120. D. — fin.

(2) Critias, quem Plato morte impeditus est, quo minus absolveret (Plutarch. Sol. 96. E.), abrumpitur memorato Deorum concilio. Quae vero desunt, apte conjici possunt e multis dialogi locis, tum imprimis vero suppleri ex totius hujus orationis summa, quam jam pridie dederat Critias Tim. 23. D. — 25. D. In Atlanticâ enim insulâ primum hac morum corruptela, quam narravimus, adauctâ, Jupiter poenam ejus incolis inflicturus (Crit. 121. C. coll. cum 120. D. ταύτῃ δὴ τοσαύτην κ. τ. λ. Cf. Hesiod. Op. et D. 212, 229), bellum iis excitasse putandus est, in quo feliciter initio versati sunt, sed mox ab Atheniensibus penitus expugnati (Crit. 108. E. Tim. 24. E. 25. B. C.). Hi exinde virtute suâ totius orbis domini exstiterunt (Crit. 110. E.). Postea autem illuvione accidit, ut Atlantica insula vastó gurgite submergeretur et Graecorum omnes, qui bellum gerere valerent, terrae hiatu absorberentur (Tim. 25. D. Cf. Crit. III. A.—C. 112. D.); quarum rerum memoria in Graecia periit, quum ex hoc diluvio non nisi rudes quidam et montivagi homines superessent (Crit. 109. D. E. 110. A. Cf. Tim. 22. D. 23. B. C.). — Tales rerum physicarum revolutiones, modo igne, modo aquâ perfectas, necessarias certis temporis intervallis Plato judicabat. V. Tim. 22. C. Polit. 270. C. Cf. Ast. Plat. Legg. et Epinom. Animadv. p. 139 sq. — Ceterum mali semper origo inde repetenda est, quod divinam superat humana naturam. Vidimus in Politico. Quam egregie hoc placitum congruit cum universa idearum doctrina, quisquis animadvertit. Cf. Rep. VII. 519. A. B.

(3) Legg. III. 677. A. B. Critias et Tim. ll. cc.

(4) Legg. III. 678. C. Ἆρ' οὐκ ἄσμενοι μὲν ἑαυτοὺς ἑώρων, δι' ὀλιγότητα, ἐν τοῖς περὶ ἐκεῖνον τὸν χρόνον. E. πρῶτον μὲν ἠγάπων καὶ ἐφιλοφρονοῦντο ἀλλήλους δι' ἐρημίαν.

quum neque divites essent, metallorum usu cum plerisque artibus deperdito, neque pauperes, abundantem venatione victum, vestitum atque habitationes servatâ texendi ac fingendi arte praebente, ipsâ naturâ justissimis induebantur moribus (1). Talis prima fuit, qualem sibi ipsi debuerunt, hominum societas: quae exstiterant ante, Deorum scilicet erant voluntate custodiâque institutae atque ordinatae. Non autem hoc loco de civitatis, quae vere dici mereatur, initiis disputatur et incrementis: agitur de legumlatione, quae, cum olim Diis fuisset commissa, eorumque filiis discipulisve, nunc tributa primum est senioribus, tum optimatibus, deinde aliis (2); tunc de numero et dignitate imperii axiomatum, quae *ἔν τε πόλεσι μεγάλαις καὶ σμικραῖς, ἔν τε οἰκίαις ὡσαύτως*, temporis habitâ ratione, existunt: primum est parentum in liberos, alterum nobilium in ignobiles, tertium

---

(1) Legg. III. 677. C. 678. D. sqq. 679. B. C. *Πένητες μὲν δὴ διὰ τὸ τοιοῦτον σφόδρα οὐκ ἦσαν, οὐδ' ὑπὸ πενίας ἀναγκαζόμενοι, διάφοροι ἑαυτοῖς ἐγίγνοντο. πλούσιοι δ' οὐκ ἄν ποτ' ἐγένοντο, ἄχρυσοί τε καὶ ἀνάργυροι ὄντες· ᾗ δ' ἄν ποτε ξυνοικίᾳ μήτε πλοῦτος ξυνοικῇ μήτε πενία, σχεδὸν ἐν ταύτῃ δικαιότατα ἤθη γίγνοιτ' ἄν· οὔτε γὰρ ὕβρις, οὔτ' ἀδικία, ζῆλοί τε αὖ καὶ φθόνοι οὐκ ἐγγίγνονται. οὐδὲ ταῦτ' ἐν ἐκείνοις παρῆν· ἀγαθοὶ μὲν δὴ διὰ ταῦτά τε ἦσαν, καὶ διὰ τὴν λεγομένην εὐήθειαν.* Vel sic locum legendum arbitror, vel verba *ὃ τότε ἐν ἐκείνοις παρῆν* paullo superius collocanda post *ἀνθρώπων γένος*, ita tamen, ut pro *παρῆν* legatur tunc *παρῇ*. Uti nunc leguntur, nullum verba idoneum sensum praebent.

(2) Legg. III. 680. B. sqq. Cf. IX. 853. C.

seniorum in juniores, caet. (1). Sexto demum loco collocanda est ea imperii forma, quam recte Plato vocari civitatem arbitrabatur, quam vere naturam imitari existimabat, non ab auctoritate sive moribus receptâ sive tyrannide usurpatâ profectam, sed a liberâ voluntate eorum, qui propriae salutis causa sibi dominam patiantur praeponi legem (2).

Quod a principio homines conjunctim vivere maluerint, id non adscribebat Plato, sicut Protagoras fecerat, virium imbecillitati, sed initio Deorum voluntate effectum statuebat, deinde mutuo benevolentiae sensu familiarumque vinculo. Quod autem civitatem condiderint, i. e. mutua sibi officia et leges praescripserint, hoc indigentiae tribuebat, non isti quidem, quae, externâ vi illatâ, vitae defendendae causa vires conjungere cogat, sed ei multo magis, quae internâ ac naturali nitatur humanarum facultatum dispositione. Leges enim et judicia, ut frequenter in laudatis modo dialogis Plato docet, non necessaria sunt, ubi cuique, quibus indiget, ea sponte praebeat natura, sed ubi propriâ operâ, quae vitae sustinendae in-

(1) Legg. III. 690. A. D. Cf. IV. 714. E.

(2) Legg. III. 690. B. C. *Τὸ δὲ μέγιστον, ὡς ἔοικεν, ἀξίωμα, ἕκτον ἂν γίγνοιτο, ἕπεσθαι μὲν τὸν ἀνεπιστήμονα κελεῦον, τὸν δὲ φρονοῦντα, ἡγεῖσθαι καὶ ἄρχειν. καίτοι τοῦτό γε, ὦ Πίνδαρε σοφώτατε* (Gorg. 484. Cf. supra p. 134 sq.) *σχεδὸν οὐκ ἂν παρὰ φύσιν ἔγωγε φαίην γίγνεσθαι, κατὰ φύσιν δὲ, τὴν τοῦ νόμου ἑκόντων ἀρχὴν, ἀλλ' οὐ βίαιον, πεφυκυῖαν.* Cf. Legg. IV. 712. E.

serviant, sibi homines parare cogantur. Verum non omnia possumus omnes, ut ait poëta. Non omnes natura ad quodquod opus aeque idoneos fecit: praestat igitur, ut diversa negotia, quae ad vitam conducunt, a diversis tractentur. Sed non possumus hoc loco plenius et clarius et brevius simul explicare Platonis mentem, quam ipsis exhibitis Platonis verbis, quae si fortasse videantur longiora laudatu, ample compensant gravitate legendi operam.

Γίγνεται τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, πόλις (1), *ὡς ἐγῷμαι, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής· ἢ τιν' οἴει ἀρχὴν ἄλλην πόλιν οἰκίζειν; Οὐδεμίαν, ἦ δ' ὅς. Οὕτω δὴ ἄρα παραλαμβάνων ἄλλος ἄλλον ἐπ' ἄλλου, τὸν δ' ἐπ' ἄλλου χρείᾳ, πολλῶν δεόμενοι, πολλοὺς εἰς μίαν οἴκησιν ἀγείραντες κοινωνούς τε καὶ βοηθούς, ταύτῃ τῇ ξυνοικίᾳ ἐθέμεθα πόλιν ὄνομα· ἦ γάρ; Πάνυ μὲν οὖν. Μεταδίδωσι δὴ ἄλλος ἄλλῳ, εἴ τι μεταδίδωσιν, ἢ μεταλαμβάνει, οἰόμενος αὐτῷ ἄμεινον εἶναι. Πάνυ γε. Ἴθι δή, ἦν δ' ἐγώ, τῷ λόγῳ ἐξ ἀρχῆς ποιῶμεν πόλιν· ποιήσει δὲ αὐτήν, ὡς ἔοικεν, ἡ ἡμετέρα χρεία. Πῶς δ' οὔ; Ἀλλὰ μὴν πρώτη γε καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα. Παντάπασί γε. Δευτέρα δὴ οἰκήσεως, τρίτη δ' ἐσθῆτος καὶ τῶν τοι-*

---

(1) Cur Astius, cum olim recte *πόλιν* vertissent interpretes *civitatem*, substituerit in Edit. suâ *urbem*, non satis intelligo. Haec Latinorum vox facile efficere posset, ut perverse Graeci philosophi sententia acciperetur. Cf. Fülleborn Introd. ad alteram partem operis, a se editi, Garviani, quod Arist. Polit. versionem exhibet Germanicam p. 17. sqq.

οὕτων. Ἔστι ταῦτα. Φέρε δή, ἦν δ' ἐγώ, πῶς ἡ πόλις ἀρκέσει ἐπὶ τοσαύτην παρασκευήν; ἄλλο τι γεωργὸς μὲν εἷς, ὁ δὲ οἰκοδόμος, ἄλλος δέ τις ὑφάντης; ἢ καὶ σκυτοτόμον αὐτόσε προσθήσομεν, ἤ τιν' ἄλλον τῶν περὶ τὸ σῶμα θεραπευτήν; Πάνυ γε. Εἴη δ' ἂν ἥ γε ἀναγκαιοτάτη πόλις ἐκ τεττάρων ἢ πέντε ἀνδρῶν. Φαίνεται. Τί δὴ οὖν; ἕνα ἕκαστον τούτων δεῖ τὸ αὑτοῦ ἔργον ἅπασι κοινὸν κατατιθέναι, οἷον τὸν γεωργὸν ἕνα ὄντα παρασκευάζειν τέτταρσι καὶ τετραπλάσιον χρόνον τε καὶ πόνον ἀναλίσκειν ἐπὶ σίτου παρασκευῇ, καὶ ἄλλοις κοινωνεῖν; ἢ ἀμελήσαντα ἑαυτῷ μόνῳ τέταρτον μέρος ποιεῖν τούτου τοῦ σιτίου ἐν τετάρτῳ μέρει τοῦ χρόνου, τὰ δὲ τρία, τὸ μὲν ἐπὶ τῇ τῆς οἰκίας παρασκευῇ διατρίβειν, τὸ δὲ ἱματίου, τὸ δὲ ὑποδημάτων, καὶ μὴ ἄλλοις κοινωνοῦντα πράγματα ἔχειν, ἀλλ' αὐτὸν δι' αὑτὸν τὰ αὑτοῦ πράττειν; Καὶ ὁ Ἀδείμαντος ἔφη. Ἀλλ' ἴσως, ὦ Σώκρατες, οὕτω ῥᾷον ἢ ἐκείνως. Οὐδέν, ἦν δ' ἐγώ, μὰ Δί', ἄτοπον· ἐννοῶ γὰρ καὶ αὐτὸς εἰπόντος σοῦ ὅτι πρῶτον μὲν ἡμῶν φύεται ἕκαστος οὐ πάνυ ὅμοιος ἑκάστῳ, ἀλλὰ διαφέρων τὴν φύσιν, ἄλλος ἐπ' ἄλλου ἔργου πράξει. ἢ οὐ δοκεῖ σοι; Ἔμοιγε. . . . . Ἐκ δὴ τούτων πλείω τε ἕκαστα γίγνεται καὶ κάλλιον καὶ ῥᾷον, ὅταν εἷς ἓν κατὰ φύσιν ἐν καιρῷ, σχολὴν τῶν ἄλλων ἄγων, πράττῃ. Παντάπασι μὲν οὖν. Πλειόνων δή, ὦ Ἀδείμαντε, δεῖ πολιτῶν ἢ τεττάρων ἐπὶ τὰς παρασκευάς, ὧν ἐλέγομεν. ὁ γὰρ γεωργός, ὡς ἔοικεν, οὐκ αὐτὸς ποιήσεται ἑαυτῷ τὸ ἄροτρον, εἰ μέλλει καλὸν εἶναι, οὐδὲ σμινύην, οὐδὲ ἄλλα ὄργανα ὅσα περὶ γεωργίαν· οὐδ' αὖ ὁ οἰκοδόμος· πολλῶν δὲ καὶ τούτῳ

δεῖ. ὡσαύτως δὲ ὁ ὑφάντης τε καὶ ὁ σκυτοτόμος. ἢ οὔ; Ἀληθῆ. Τέκτονες δὲ καὶ χαλκῆς καὶ τοιοῦτοί τινες πολλοὶ δημιουργοὶ κοινωνοὶ ἡμῖν τοῦ πολιχνίου γιγνόμενοι συχνὸν αὐτὸ ποιοῦσιν. Πάνυ μὲν οὖν (1).

Hac via, quam civitatem instituere a quatuor vel quinque hominum conjunctione exorsus erat, ad eandem progreditur perficiendam, ita quidem, ut novam quamque singulorum χρείαν novus aequo pede assectetur civium numerus; ut, datis tandem universis, quibus perfecta constat, civitatis elementis, ad justam transeat eorum compositionem.

Aristoteles, iniquior reipublicae Platonis censor (2), praeter multa alia hoc imprimis duxit improbandum, quod cum multa tetigerit Plato ab argumento suo aliena, plurima, de quibus in recte constitutâ civitate necessario statui oportebat, penitus omiserit (3). Quae quidem haud iniqua primo obtutu videtur reprehensio. E multis enim rem nummariam suffecerit et leges poenales allegasse, quarum nullam philosophus habuit rationem. Sed attendendum est, quod, credo, e superioribus etiam patebit abunde, non fuisse Platonis consilium, ut de rebus in civitatis administratione obviis statueret: quod eorum fuit, quibuscum Platonem comparavit Stagirita, Phaleae Chalcedonii aliorumque, quos ipse testatur, quae rem familia-

(1) Rep. II. 369. B. — 370. D.
(2) Arist. Polit. L. II. C. 2—5. Cf. Morgenstern o. l. p. 293 sqq.
(3) Arist. Polit. II. 6. p. 319. D. E.

rem spectarent, tractavisse de industriâ (1): sed Platonem id solum egisse, ut, eorum curâ magistratibus philosophis relictâ, *legem* civitati constitueret *fundamentalem*, quae vere dici meretur: quâ ad unitatem referebantur omnia, imperium tribuebatur *τῷ ἀρίστῳ*, et iis moribus ac disciplinis instituebantur civium liberi, ut civitatem initio *ratione* (*διὰ νοῦ* seu *διὰ λόγου* Plato frequenter) confectam, necessario firmaret civium indoles ac sponte corroboraret. Hac autem lege constitutâ, in tali civitate, qualem effinxit Politiae auctor, non aliis est legibus opus (2): imperat utique quod sapientissimum est, magistratus, qui ipsum justum intueri edocti, optime omnium felicitati prospicere possunt (3).

---

(1) Arist. Polit. II. 7. p. 322. C. D. *ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀναγκαίων ἄρχονται μᾶλλον· δοκεῖ γάρ τισι τὸ περὶ τὰς οὐσίας εἶναι μέγιστον τετάχθαι καλῶς.*

(2) Rep. IV. 425. D. E. *'Αλλ' οὐκ ἄξιον, ἔφη, ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν· τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσι. Ναί, ὦ φίλε, εἶπον, ἐάν γε θεὸς αὐτοῖς διδῷ σωτηρίαν τῶν νόμων ὧν ἔμπροσθεν διήλθομεν.* 427. A. Legg. IX. 875. C. *'Επεὶ ταῦτα εἴποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανὸς, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθεὶς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ. ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων· οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάνπερ ἀληθινὸς ἐλεύθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν.* Plutarch. de Fato 574. A. Kant. Critik der Reinen Vernunft 3te Ausg. p. 373 sq.

(3) Propterea in civitate, in qua *τὸ ἄριστον*, summa ratio, philosophi imperent, ridiculum existimabat Plato, ipsos arcte adstringi legibus. Polit. 293. E. sqq. 297. A. *οὕτω*

καὶ

Dubitabat vero philosophus ipse, an hujusmodi civitas, in qua singuli homines ab initio electi et instituti essent ad illud munus implendum, ad quod eos fecerat natura, et imperantes ipsum valeant ad spicere bonum, unquam reverâ existere possit (1). At proxime considerandum accedit aliud civitatum genus, quarum condendarum et olim saepissime et suo tempore nonnunquam dabatur opportunitas, quando v. c. hominibus, patriam relinquentibus, ut novam conjuncti quaerant, nova imperii forma constituenda, novaque jura sancienda sunt. Talem hominum coetum in Nomis Plato legibus donavit (2). Clinias, coloniam ducturus Magne-

---

καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον παρὰ τῶν οὕτως ἄρχειν δυναμένων ὀρθὴ γίγνοιτ' ἂν πολιτεία, τὴν τῆς τέχνης ῥώμην τῶν νόμων παρεχομένων κρείττω. Critias 119. C. Cf. de Geer Diatr. in Polit. Pl. init. p. 169 sqq. Platonis sententiae egregium argumentum opposuit Arist. Polit. III. 15. p. 358. κρεῖττον δ', ᾧ μὴ πρόςεστι τὸ παθητικὸν ὅλως, ἢ ᾧ συμφυές. τῷ μὲν οὖν νόμῳ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει, ψυχὴν δ' ἀνθρωπίνην ἀνάγκη τοῦτ' ἔχειν πᾶσαν.

(1) Rep. V. 472. D. E. IX. 592. A. B. Legg. IX. 875. D.

(2) Quantum potuit fieri, abstinuimus ab omni quaestione super genuinâ Platonicorum, quae perhibentur, scriptorum indole, in laudandis Platonis sententiis iis potissimum usi sermonibus, qui apud omnes indubitatae habentur auctoritatis. Verum de Legibus opus, quippe cum materia, quam tractandam suscepimus, conjunctius, non par eodem est praeterire silentio. Non tamen omnia, quibus fidem his libris tribuendam corroborare possimus, in medium afferemus, ne longa fiat disputatio: satis nos praestituros arbitrantes, si Astii viri Cl. rationes (Plat. Leb. 384—394.), quibus hic primus cona-

m, ab incolis suis relictam, rogat Hospitem heniensem et Megillum, quibuscum de legum

---

natus est operis impugnare authentiam, perpendamus breviter, ac si fieri possit, diluamus. Sunt hae rationes duplicis generis, internae, ex argumento et dictione, externae e tempore conscripti operis petitae. In his una, quae aliquam praebet speciem gravitatis, ea est ducta ex necessitudine libb. de Rep. inter et Timaeum Critiamque. Leges enim, sic ratiocinatur vir Cl., conscriptae sunt post Politeiam, teste Aristotele (Pol. II. 4), Politia autem, quippe unâ serie cum Timaeo conjuncta Critiâque, in postremis philosophi operibus recensenda est: Leges igitur non possunt esse Platonis. Quam falsa haec argumentatio sit, monuimus jam in superioribus, ita ut nunc nobis non relinquantur nisi internae dubitandi rationes. Prima eaque gravissima sumitur ex operis consilio: in Politia nempe incongruum dixerat Plato cuncta describere legibus, quod tamen in Nomis accurate deprehendimus factum. Quam egregie autem hoc argumentum refellatur diverso utriusque operis proposito, abunde, spero, patebit ex ipsa nostra dissertatione, collatis probe Platonis ll. cc. — Quod in Legg. non aeque ac in Rep. singularem civium ordinem constituunt milites, facile eo explicatur, quod nisi homines a principio ad hoc munus electi et instituti sint, unius ordinis vinculo conjuncti, necessario conferent potius ad civitatis detrimentum, quam hujus commodo inservient (cf. Rep. II. 375. B. *Πῶς οὖν . . . . οὐκ ἄγριοι ἀλλήλοις ἔσονται καὶ τοῖς ἄλλοις πολίταις, ὄντες τοιοῦτοι τὰς φύσεις;* κ. τ. λ. 376. C. D. IV. 423. A. 424. A. E.). Quod deinde in Nomis neque mulieres neque bona communia sint, neminem offendet, qui legerit Legg. V. 739. B. C. *Πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα. λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων. τοῦτ' οὖν εἴτε που νῦν ἔστιν, εἴτε ἔσται ποτὲ, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα.* coll. c. E. 740. A. *νῦν δ' οὖν ταύτην τίνα λέγομεν, καὶ πῶς γενομένην ἂν τοιαύτην. νειμάσ-*

Dubitabat vero philosophus ipse, an hujusmodi civitas, in qua singuli homines ab initio electi et instituti essent ad illud munus implendum, ad quod eos fecerat natura, et imperantes ipsum valeant adspicere bonum, unquam reverâ existere possit (1). At proxime considerandum accedit aliud civitatum genus, quarum condendarum et olim saepissime et suo tempore nonnunquam dabatur opportunitas, quando v. c. hominibus, patriam relinquentibus, ut novam conjuncti quaerant, nova imperii forma constituenda, novaque jura sancienda sunt. Talem hominum coetum in Nomis Plato legibus donavit (2). Clinias, coloniam ducturus Magne-

---

καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον παρὰ τῶν οὕτως ἄρχειν δυναμένων ὀρθὴ γίγνοιτ' ἂν πολιτεία, τὴν τῆς τέχνης ῥώμην τῶν νόμων παρεχομένων κρείττω. Critias 119. C. Cf. de Geer Diatr. in Polit. Pl. init. p. 169 sqq. Platonis sententiae egregium argumentum opposuit Arist. Polit. III. 15. p. 358. κρεῖττον δ', ᾧ μὴ πρόςεστι τὸ παθητικὸν ὅλως, ἢ ᾧ συμφυές. τῷ μὲν οὖν νόμῳ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει, ψυχὴν δ' ἀνθρωπίνην ἀνάγκη τοῦτ' ἔχειν πᾶσαν.

(1) Rep. V. 472. D. E. IX. 592. A. B. Legg. IX. 875. D.

(2) Quantum potuit fieri, abstinuimus ab omni quaestione super genuinâ Platonicorum, quae perhibentur, scriptorum indole, in laudandis Platonis sententiis iis potissimum usi sermonibus, qui apud omnes indubitatae habentur auctoritatis. Verum de Legibus opus, quippe cum materia, quam tractandam suscepimus, conjunctius, non par eodem est praeterire silentio. Non tamen omnia, quibus fidem his libris tribuendam corroborare possimus, in medium afferemus, ne longa fiat disputatio: satis nos praestituros arbitrantes, si Astii viri Cl. rationes (Plat. Leb. 384—394.), quibus hic primus cona-

siam, ab incolis suis relictam, rogat Hospitem Atheniensem et Megillum, quibuscum de legum

natus est operis impugnare authentiam, perpendamus breviter, ac si fieri possit, diluamus. Sunt hae rationes duplicis generis, internae, ex argumento et dictione, externae e tempore conscripti operis petitae. In his una, quae aliquam praebet speciem gravitatis, ea est ducta ex necessitudine libb. de Rep. inter et Timaeum Critiamque. Leges enim, sic ratiocinatur vir Cl., conscriptae sunt post Politeian, teste Aristotele (Pol. II. 4), Politia autem, quippe una serie cum Timaeo conjuncta Critiâque, in postremis philosophi operibus recensenda est: Leges igitur non possunt esse Platonis. Quam falsâ haec argumentatio sit, monuimus jam in superioribus, ita ut nunc nobis non relinquantur nisi internae dubitandi rationes. Prima eaque gravissima sumitur ex operis consilio: in Politia nempe incongruum dixerat Plato cuncta describere legibus, quod tamen in Nomis accurate deprehendimus factum. Quam egregie autem hoc argumentum refellatur diverso utriusque operis proposito, abunde, spero, patebit ex ipsa nostra dissertatione, collatis probe Platonis ll. cc. — Quod in Legg. non aeque ac in Rep. singularem civium ordinem constituunt milites, facile eo explicatur, quod nisi homines a principio ad hoc munus electi et instituti sint, unius ordinis vinculo conjuncti, necessario conferent potius ad civitatis detrimentum, quam hujus commodo inservient (cf. Rep. II. 375. B. *Πῶς οὖν . . . . οὐκ ἄγριοι ἀλλήλοις ἔσονται καὶ τοῖς ἄλλοις πολίταις, ὄντες τοιοῦτοι τὰς φύσεις;* κ. τ. λ. 376. C. D. IV. 429. A. 424. A. E.). Quod deinde in Nomis neque mulieres neque bona communia sint, neminem offendet, qui legerit Legg. V. 739. B. C. *Πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα. λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων. τοῦτ' οὖν εἴτε που νῦν ἔστιν, εἴτε ἔσται ποτὲ, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα.* coll. c. E. 740. A. *νῦν δ' οὖν ταύτην τίνα λέγομεν, καὶ πῶς γενομένην ἂν τοιαύτην. νειμάσ-*

natura ac fine colloquium instituerat, ut sibi proponant reipublicae effigiem, quam in novo imperio moderando possit imitari (1). Exploratis urbis struendae situ colonorumque indole (2), Hospes (3) civitati leges praecipere instituit. Hic autem non, sicuti in Politiâ, cujus vel prima elementa *διὰ λόγου* composita sunt atque ordinata, omnia, quasi ipsâ adjutrice naturâ, necessario concurrunt ad finem legislatori propositum, sed multa tribuuntur fortunae ac providentiae Deorum (4). Hic non, sicuti in Politiâ, in qua semper vere

---

μάσθων μὲν δὴ πρῶτον γῆν τε καὶ οἰκίας· καὶ μὴ κοινῇ γεωργούντων. ἐπειδὴ τὸ τοιοῦτον μεῖζον ἢ κατὰ τὴν νῦν γένεσίν τε καὶ τροφὴν καὶ παίδευσιν εἴρηται. Aliud denique ineundi matrimonii tempus statueretur in Polit. atque in Legib. (Rep. V. 460. E. coll. c. Legg. IV. 721. B. VI. 785. B.) quod non probabiliter judicat Ast. a Platone proficisci posse, quum non peculiarem quandam civitatem ob oculos habuerit auctor (cf. Legg. IX. 858. B. C.) nullamque adeo causam, cur a priori sua sententia deflecteret. Sed et posterius hoc argumentum Astii falsum est (cf. Legg. IV. 722. A.) et universa claudicat dubitandi ratio. Loco enim de Rep. cit. non quaeritur de justa nuptiarum ineundarum aetate, sed convenienter legibus de communione mulierum inquiritur in aetatem procreationi aptissimam. Praeterea scribendi genus adoritur Ast., quod a Platonica oratione perhibet esse prorsus alienum. Difficile est de talibus disputare. Utrum tamen hoc argumento ad hunc usque diem unum Platonis amicum ad suam sententiam pertraxerit vir Cl., vehementer dubitamus.

(1) Legg. III. 702. B.—E.

(2) Legg. IV. 704. A. — 705. C. 707. D. — 708. D.

(3) V. de Geer Diatr. I. p. 123. J. Tideman de Deo Plat. p. 182.

(4) Legg. IV. 708. E. 709. A. B. Cf. Arist. Polit. VII. 13. p. 441.

philosophi regnant (1), leges speciales judicantur otiosae et committuntur pleraque magistratuum arbitrio id maxime curantium, ut nunquam non ante oculos habeant sedulòque conservent summam legem civitatis constitutricem (2): sed plurima accurate legibus definiuntur (3), quarum ne magistratus se dominos sistant, imo ut ministri evadant observantissimi, summopere caveatur (4).

Praeter has duas civitatis species, tertiam sibi delineandam proposuit Plato, quod tamen consilium, sive morte praereptus fuerit sive aliâ quâdam impeditus causâ, nunquam perfecit. Collato autem loco, ubi *τρίτης πολιτείας* insertur mentio (5), et imprimis nexus habita ratione, qui duas inter priores intercedit, conjiciendum est, in efformandâ tertiâ illâ republicâ Platonem tentare voluisse, quid, positis hominibus solito more conjunctis institutisque, et insuper vulgari jam vigente imperii moderamine, ratio in tali rerum conditione efficere possit. In libris enim de Po-

(1) In civitate contra, quam in Nomis Plato exstruere conatur, optime rem legislatori cessuram esse affirmat, si iis hominibus sit leges daturus, qui sub imperio juvenis ac docilis tyranni subjecti sint Legg. IV. 709. D. — 710. C.

(2) Rep. IV. 433. E. 443. E.

(3) Legg. IX. 875. C. loco supra cit. quibus adjiciuntur D. *νῦν δὲ οὐ γάρ ἐστιν οὐδαμοῦ οὐδαμῶς, ἀλλ' ἢ κατὰ βραχύ. διὸ δὴ τὸ δεύτερον αἱρετέον, τάξιν τε καὶ νόμον.* Cf. ib. p. 853. B. C.

(4) Legg. IV. 715. C. D.

(5) Legg. V. 739. E.

litia omnem ab initio societatem civilem exstruxerat ratio; in libris de legibus praesumti erant homines sociali vinculo conjuncti et imperio cuidam subjecti: in tertio denique opere fuissent igitur et societas et civitas suppositae, ut inquireret philosophus, quid e principiis juris esset ad ejus reipublicae salutem conferendum, quae neque rationis instituto fuerit confecta neque ejusdem ope moderata. Maxime dolendum est hoc Platonis opus desiderari, in quo, quae diversis imperii formis conveniant instituta, probabile est judicaturum fuisse auctorem: quod argumentum, quo longius recedit ab idearum perfectione, eo tamen magis facit ad vitae usum et practicam exhibet utilitatem. Non multum, opinor, ab hujus scriptionis consilio abfuit quod postea molitus est opus celeberrimus Montesquievius in Legum causis describendis (1).

Hac re, secundum Platonis sententiam, quod justum est, quodque conducit civitati, perfecte

---

(1) Cf. integer hujus op. titulus »De l'esprit des loix, Ou du rapport que les loix doivent avoir avec la constitution de chaque gouvernement, les moeurs, le climat, la religion, le commerce etc.'' Neque aliud fuit consilium Aristotelis in potiore Polit. parte. Cf. imprimis Polit. IV. 1. 363. A.—E, loco longiore, quam qui describatur, qui vero hic consulatur, dignissimo: quo quippe loco non dubito quin Aristoteles respexerit tum ad duas Politeias, quas effinxit Plato, tum ad tertiam illam, quam adtigit modo, quamque queritur Stagirita ab omnibus fere immerito praetermitti.

conveniunt, quod utriusque respectu aequalitas, in qua tuenda omnium philosophorum consensu summum cernitur prudentiae civilis principium, non ea putanda est, quae pondere aestimatur ac mensurâ, sed quae suum cuique pro dignitate tribuit (1). Ipsa natura imperium meliori civium ordini conciliat, inferioribus vero obedientiam praecipit legibus praestandam. Est is naturae nutus, cui sapientes viri in temperanda republicâ morem gerant, cogitandus potius, quam expressus contrahentium consensus quidam, ex quo hominibus obligatio nascitur vitam instituendi legum praescriptis accommodatam. Propterea summum Plato imperantibus officium posuit, non vi extorquendi observantiam legum, sed persuadendo magis ac docendo demonstrandi civibus, quid ad ipsorum

---

(1) Legg. VI. 757. B. C. *Δυοῖν γὰρ ἰσοτήτοιν οὔσαιν, ὁμωνύμοιν μὲν, ἔργῳ δὲ εἰς πολλὰ σχέδον ἐναντίαιν, τὴν μὲν ἑτέραν εἰς τὰς τιμὰς πᾶσα πόλις ἱκανὴ παραγαγεῖν καὶ πᾶς νομοθέτης, τὴν μέτρῳ ἴσην καὶ σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, κλήρῳ ἀπευθύνων εἰς τὰς διανομὰς αὐτήν· τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκέτι ῥᾴδιον παντὶ ἰδεῖν. Διὸς γὰρ δὴ κρίσις ἐστί· καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀεὶ σμικρὰ μὲν ἐπαρκεῖ· πᾶν δὲ ὅσον ἂν ἐπαρκέσῃ πόλεσιν ἢ καὶ ἰδιώταις, πάντ' ἀγαθὰ ἀπεργάζεται. τῷ μὲν γὰρ μείζονι πλείω, τῷ δε ἐλάττονι σμικρότερα νέμει, μέτρια διδοῦσα πρὸς τὴν αὐτῶν φύσιν ἑκατέρῳ, καὶ δὴ καὶ τιμὰς μείζοσι μὲν πρὸς ἀρετὴν, ἀεὶ μείζους· τοῖς δὲ τοὐναντίον ἔχουσιν ἀρετῆς τε καὶ παιδείας, τὸ πρέπον ἑκατέροις ἀπονέμει κατὰ λόγον. ἔστι γὰρ δή που καὶ τὸ πολιτικὸν ἡμῖν ἀεὶ τοῦτ' αὐτὸ τὸ δίκαιον.* Gorg. 508. A. Cf. supra p. 38.

salutem faciat conjunctaque omnium requirat studia, si de se bene ipsis mereri velint (1).

Non me latet quidem in disputatione illa Socratis, quam cum Critone postremis vitae diebus habuit, diserte significari pactum, quo legibus tenentur cives et ex quo primaria subinde monetur derivanda esse juris civilis ratio (2). Sed, quamvis non idoneam causam esse existimo, cur hic a Platone adjudicetur sermo, hoc tamen satis, opinor, constat, quod non inter eos recipiendus sit dialogos, in quibus Plato, Socratem non refereus accurate sed ad τοῦ δικαίου sive τοῦ καλοῦ ideam exornans, hujus ore suas revera sibique proprias sententias promat: in Critone, pariter atque in Apologiâ, idem, quod in Memorabilibus Xenophon, sibi Plato proposuit, magistrum ut ab adversariorum vindicaret calumniâ, ideoque non ex ingenio contexuit quandam, sed germanam exhibuit Socraticam disciplinam. Argumentatio igitur, quae istis continetur sermonibus, quando de Platonis ipsius quaeritur placitis, merito opponi posse nequaquam videtur.

Proxima igitur causa, cur legibus obtemperandum sit, in imperio sita est; remotior, cur sibi mutuo homines teneantur eidem imperio subjecti,

(1) Notissima est sententia Platonis legibus praeponenda esse prooemia, quibus cives persuadentur ad legum observantiam universamque virtutem. V. Legg. IV. 711. B. 715. E. sqq. VII. 828: A. D. sqq. IX. 854. A. 859. A. al.
(2) Crito. 51. D. E. 52. D. E.

non in externo pacto, sed posita est in internâ persuasione de rationis praeceptis, justitiae et utilitati simul omnium consentaneis. Verum enim, quum imperium a Deorum primum praesidio, exinde a vinculo familiarum initium duxerit, ipsa natura voluisse censenda est non urbis constructae finibus circumscribi juris communionem, sed extendi debere ad eos, quibus originem communem conciliaverit Deorum voluntas (1). Hinc naturalis metropolin inter et colonias necessitudo (2); hinc, quod Graecos deceat, quamvis variis civitatibus divisos, unâ eâdemque juris societate uti; hinc Graeci in servitutem non redigendi; hinc quaeque inter eos dissensio seditionis potius quam belli nomine nuncupanda (3). Nempe τὸ Ἑλληνικὸν γένος αὐτὸ αὑτῷ οἰκεῖον τε καὶ ξυγγενὲς, τῷ δὲ Βαρβαρικῷ ὀθνεῖον τε καὶ ἀλλότριον: hos πολεμίους φύσει, illos amicos aestimare oportet (4).

Plato igitur neque civitatis finibus inclusit justitiam, neque tamen ex ejus principiis mutua elicuit officia, universo hominum generi communia. Aliquantulum quidem progressus est ulterius, quam Socrates, qui lege constitutâ omnem ferme justitiam comprehenderat: sed multum abest, ut id praestiterit, quod merito a philosopho exspecta-

---

(1) Cf. Critias 120. C.
(2) Legg. VI. 754. A. B.
(3) Rep. V. 469. B, C. 470. B. D. Menex. 242. D.
(4) Rep. V. 470. C.

res, qui tam arcte justitiam cum naturâ copulaverit.

Summas semper Plato, magistri vestigiis incedens, tribuit iis laudes, qui jus constitutum pie reverentur (1). Quod hujus obsequium in civitate ab omnibus indistincte et absolute petierit, non opus erit monere. Verum, quod maximopere attendendum est, ne in jure condendo quidem statuit patria instituta et imprimis veterem religionem unquam temere esse tendanda (2). Quin imo in legibus a Platone propositis, saepissime priscae atque inveteratae superstitionis suspiciuntur monumenta, quae, nisi populari religioni morem gessisset philosophus, certissime desiderarentur. Quod haec in poenarum ratione stabiliunda plurimum seperiantur, facile explicatur tum universe ex exiguâ, quae olim erat, et imperfectâ hujus rei notitiâ, quae perpetrati criminis majorem quam malefici habendam docuit rationem, tum maxime e duplici, quae censebatur antiquitus, deprecan-

(1) Legg. VI. 762. E. ὁ μὴ δουλεύσας, οὐδ᾽ ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου· καὶ καλλωπίζεσθαι χρὴ τῷ καλῶς δουλεῦσαι μᾶλλον ἢ τῷ καλῶς ἄρξαι· πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις (ὡς ταύτην τοῖς θεοῖς οὖσαν δουλείαν) κ. τ. λ. Cf. Heusd. Spec. Crit. in Plat. p. 113 sq.

(2) Legg. V. 738. B. D. οὔτ᾽ ἂν καινὴν ἐξ ἀρχῆς τις ποιῇ, οὔτ᾽ ἂν παλαιὰν διεφθαρμένην ἐπισκευάζηται, περὶ θεῶν τε καὶ ἱερῶν ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρύσθαι δεῖ, καὶ ὧν τινων ἐπονομάζεσθαι θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων, ὅσα ἐκ Δελφῶν..... ἤ τινες ἔπεισαν παλαιοὶ λόγοι.... τούτων νομοθέτῃ τὸ σμικρότατον ἁπάντων οὐδὲν κινητέον.

dâ vindictâ, hominum atque Deorum (1). Sed singula haec persequi argumenti nostri ubertas non patitur: nonnihil monuimus in priori disputationis parte (2).

Quum Platonis placita de eo, quod justum est, indagantur, caute ad diversum eorum attendere sensum lectorem oportere, quo *δίκαιος* et *δικαιοσύνη* usurpentur, in aperto est. Sumuntur ea in philosophi doctrinâ quadrifariam fere. Primo loco *δίκαιον* significat id, quod vere est justum, ideam, quam sola mentis acie contemplamur, dum perfectas recordamur species in pristinâ vita conspectas, modumque simul, quo, quae nobis videnda faciendave obtingant, quatenus justa vel injusta sunt, dijudicari possit: quo constituendo Platonem supra dicebamus juris quodammodo exhibuisse disciplinam. Apparuit autem simul, quam parum sive potuerit sive ausus sit Plato hanc fortiter arripere et plenius dilucidare quaestionem, non dico metaphysicam: non enim vocavit philosophus, neque esse existimavit supra humanam naturam (3): sed difficillimam tamen, quippe a vulgari philosophiae tractatione omnique orationis usu prorsus alienam (4), et periculosam quam maxi-

(1) Cf. Legg. IX. passim.

(2) V. p. 27. sq.

(3) Rep. VII. 532. A. B.

(4) Dicit quidem Plato (Rep. VII. 534. B. C.) *ὅς ἂν μὴ ἔχῃ διορίσασθαι τῷ λόγῳ, ἀπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἀφε-*

λὼν

me, quippe cum ipsa supremi numinis natura conjunctissimam (1). Duxit certe, ut videtur, viam indicasse tutius. Secundo loco δίκαιον, subjective, quod ajunt, sumptum, eum rei moralis (2) statum denotat, quo diversae ejus partes ita comparatae sunt, ut maxime juvent ad finem rei propositum prosequendum. Justitia haec instrumentum est, quo aptetur homo perfectissimis

---

λῶν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν — οὔτε αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν οὐδὲν φήσεις εἰδέναι τὸν οὕτως ἔχοντα, οὔτε ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν. Sed nihilominus ipse nusquam hanc ideam διορίζεται et dubitanter ubivis ac incerto de ea loquitur. Testatur quidem magnam ejus efficaciam, vim, dignitatem; describit nunquam. Ἀλλ' ὦ μακάριοι, inquit Rep. VI. 506. D. E. 507. A., αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστὶ τἀγαθὸν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι· ..... ὃς δὲ ἔκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ, λέγειν ἐθέλω, ... Βουλοίμην ἄν, εἶπον, ἐμέ τε δύνασθαι αὐτὴν ἀποδοῦναι καὶ ὑμᾶς κομίσασθαι, ἀλλὰ μή, ὥσπερ νῦν, τοὺς τόκους μόνον. Similiter in Philebo, postquam *bonum* jam vocaverat causam mixtionis infiniti ac finiti, et pretiosissimum simul, quod in eâ insit commixtione, accuratius tandem descripturus, quid ipsum sit, fatetur non una ideâ nos posse venando *bonum* adsequi; si vero conjungamus illud cum κάλλει et συμμετρίᾳ et ἀληθείᾳ, tunc causam nos habituros eorum, quae commixta sunt ipsiusque commixtionis causam (Phileb. 65. A.). Nullibi hanc ideam sive ullam aliam definivit Plato. Queritur etiam saepissime, quod difficillimum sit talia, etsi quis persentiat, cum aliis communicare. Literae certe nequaqnam huic usui ipsi inservire posse videbantur. Cf. Phaedr. 276. C. 278. C.

(1) Theaet. 176. B. Rep. X. 613. A. Cf. Albini Esagoge p. 115.

(2) Sola enim natura moralis, sive homo, sive civitas, quae quasi grandiorem exhibet hominis imaginem, justitiae particeps censenda est. Cff. Menex. 237. D. Tim. 41. C.

justi simulacris: quapropter sedulo id custodire nos oportet, τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον (1). Tertio significatur justitia, quae solitis reliquorum philosophorum disputationibus habetur, quae pars capitalis est virtutis, in quatuor partes distributae. Hanc saepissime, vel imo in ratiocinationibus de interiori justitiae indole, nuncupat Plato, eique, quamvis ejusdem notionem corrigere studeret, orationis tamen gratiâ vulgarem sensum tribuere pergit. Oritur ejus desiderium simul cum civitate hominum studio sibi consulere conantium, et in qualicunque societate perpetua est legum procreatrix, quae id spectant, ut singulorum commoda communi salute comprehendantur (2); consistit autem in consentaneis actionibus aliis hominibus praestandis (3). Denique de constituto jure voces accipiuntur crebro, praesertim quo ad Socraticam magis mentem accedit argumentatio Platonis (4).

---

(1) Legg. IV. 714. A. Cf. Legg. XII. 957. C.
(2) Legg. I. 644. D. sqq.
(3) Gorg. 507. B.
(4) V. c. in Apol., Critone, Gorgiâ; etiam Rep. I, ubi disputatio cum Thrasymacho habita plane indolem spirat Socraticam.

SECTIO NONA.

DE ARISTOTELE.



Alter justitiae patronus (hoc quippe nomine Platonem et Aristotelem appellat Lactantius (1)) a Cicerone etsi postponatur magistro, eundem tamen tibi adspitulantem habebis, si reliquorum omnium philosophorum antiquitatis facile principem judicaveris (2). Atque hanc laudationem Ciceronis nequaquam justo magnificentiorem esse, qui vel primoribus labris philosophiam Aristotelis degustaverit, sponte quisquis fatebitur. Verum enim vero, nisi difficile esset, quin etiam incongruum, rerum maxime diversarum instituere comparationem, appareret fortasse Stagiritae parum potius quam nimium laudis esse tributum. Quodsi enim in Platone mireris ingenii facilitatem et elegantiam, qua subtilissimas quasque quaestiones et perspexerit ultro et dilucide ornateque exposuerit, non minorem Aristoteles meretur laudem, qui aptiori et diligentiori forma omnem induerit philosophiae tractationem. Accedebat doctrinae copia plane singularis, tum universae philosophiae antiquioris plena notitia. Missa autem omni comparandi libidine, non ineptum nobis neque insulsum

(1) Lactant. Inst. V. 14. 5.
(2) Cic. Tusc. I. 10.

aliquod affirmare videmur, si homini aliquando philosophiam, quatenus non disruptis et dispersis studiis hic illic prosequatur veritatem, sed hujus indagationem disciplinae legibus ordinet, tantum debuisse, quantum Aristoteli, perhibemus.

In recensenda Aristotelis disciplina et eligendis iis, quae argumentum nostrum illustrant, alia ac breviori quidem via possumus progredi, quam qua reliquorum fere, Socrate excepto, philosophorum sententias pervestigavimus. Socrates solam morum disciplinam praeceperat excolendam. Aristoteles non eam solam tractavit philosophiae partem, at ita tamen a reliquis separavit, ut continuo possimus ab ipsius Ethicâ ducere initium. Verum ut hujus rei causa perspicua fiat, tum universa Aristotelis philosophandi ratio elucescat, uberius haec paullo explicanda et quasi momenta indaganda sunt, quibus in veritatis studio maxime philosophus incitatus fuerit.

Nimirum Socrates, Plato et Aristoteles, quamvis temporum rationibus non multum distincti, imo institutionis vinculo proxime juncti essent, suam tamen quisque sibique plane propria processerunt via, quam cur potissimum inierint, nisi causae pateant, eorum neutiquam rite assequi mentem valemus. Socraticam vidimus disciplinam rationibus patriae, salutis publicaeque utilitatis moderatam, quas temere Sophistae evertere minitabantur; Platonicam, ex eodem principio orsam, sed mox libero et poëtico et sublimi philosophi ingenio

proprio tramite insistentem, rerum Divinarum causas anquirentem, τοῦ ὄντως ὄντος scientiam venantem. Aristotelicae disciplinae indolem si recte cognoscere velimus, reputare oportet et institutionem Platonis, et antiquiori philosophiae diligentissimam operam navatam ejusque accuratissimam, pro illo tempore, acquisitam notitiam, et ingenium philosophi ad judicandum ac corrigendum, quam ad effingendum atque exornandum pronius. Si vere dici potest Socratis doctrina temporum, quibus vixit, deberi necessitati, non inferiori jure statueris, Aristotelicam nunquam talem, qualis ab auctore edita est, fuisse prodituram, nisi eâ esset tunc temporis philosophia conditione usa, quam ex superioribus, spero, aliquo modo habemus perspectam. Etenim quisquis in Aristotelis scriptis non omnino hospes existit, veterum placita, sive diserte appellantur, sive tacite innuuntur, respici ubivis, laudari, notari, corrigi, necesse est animadverterit. Neque opus est ideo, ut simultatem illam, quam intercessisse perhibent ipsum inter et Platonem, urgeamus. Quamvis enim haec traditio non omni fundamento destituta videtur, potest tamen facile etiam aliunde causa repeti, cur praesertim Platonis doctrina ab Aristotele agitetur; et hic praeterea, quatenus sibi innotescere poterat, nullam philosophorum doctrinam irreprehensam reliquit. Hoc ingenium elucet in universa philosophia Aristotelis, neque in ipsius placitis tantum, sed spectatur etiam in forma disse-

rendi. Saepe fit, ut cum rationem jam praescripserit, qua materiem aliquam tractare sibi proposuisset, in repentinam quandam incidat alicujus placiti commemorationem, ac quasi invitus in media via consilium mutet (1).

Sed ab altera parte decet grato animo ingentem perpendere utilitatem, quae ex eadem hac causa sapientiae studio profluxit. Qui enim superiorum philosophorum acute errores deprehenderet, summopere cavit, ne eorumdem vitiorum reus evaderet, et in multis adeo rebus sibi posterisque novam ac probabiliorem viam munivit. Hoc imprimis ipsi displicebat in veterum disquisitionibus, quod singularum disciplinarum non satis diversas disposuerant rationes, itaque mirum in modum conturbaverant veri investigationem. Acciderat hoc duplicem ob causam, alteram in disputationis recte ordinandae artis defectu positam, alteram in studio philosophorum uno omnem doctrinam et physicam et ethicam comprehendendi principio. Aristoteles quo magis hoc studium improbavit (improbavit autem vehementissime: hinc Pythagorae numeros *οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν θεωρίαν* nuncupavit (2), hinc reprehendit Platonem, quod cum quaestione de moribus illud

(1) Cf. Fülleborn Einleit. z. Arist. Polit. übers. von Garve p. 7. sqq.

(2) Arist. Magn. Mor. I. 1. 145. C. Iterandum hoc loco duco, me usum esse Edit. Duvall. 1629, quando quidem in Arist. libb. capitibus distinguendis maximopere discrepant editiones.

summum bonum conjunxerat, quod superat humanam naturam (1)), eo intentius in illam artem incubuit. Et quamvis infelici sorte, qua principio Aristotelis libri usi sunt, effectum est, ut justa illorum distribuendorum ratio diutissime a viris doctis desideraretur, qua de re neque ad hunc usque diem composita lis est: manifesto tamen apparet, ipsum et exquisito ordine universum cognitionis humanae campum perlustrasse et peculiaribus scriptionibus varias disciplinae partes, quas *πραγματείας* vocant, distinxisse, quam rationem jam olim Cicero aliique agnoverunt, et nuper de industria vir doctissimus Fr. Nic. Titze in egregio libello explanavit (2).

»Est forma ejus (Peripateticorum) disciplinae", inquit Tullius (3), »sicut fere ceterarum, triplex. Una pars est naturae, disserendi altera, vivendi tertia". Quam tertiam partem Cicero vocat, continuo aggrediamur. Tribus iterum constat partibus, quae mores, rem familiarem et rem publicam spectant. De moribus tria (4) Aristotelis nomine ad nos opera pervenerunt: primum ad Nicomachum filium scriptum, decem libris absolutum,

(1) Arist. Nicom. I. 4. Magn. Mor. I. 1. 146. A. C.

(2) F. N. Titze de Arist. Opp. serie et distinct. Lips. 1826.

(3) Cic. Fin. V. 4.

(4) Libellum enim de Virtutibus et Vitiis, qui sub Aristotelis nomine fertur (p. 291—296 Duvall.), quemque separatim cum Plethone edidit Fawconer Oxon. A°. 1752., non numero, quippe qui unanimi eruditorum consensu Aristoteli abjudicatur.

opus longe praestantissimum, quod a nonnullis injuriâ olim, ex inscriptionis fortasse vitio natâ, ipsi Nicomacho tribuebatur (1), alterum ad Eudemum septem libris contentum, quorum tamen tres priores duntaxat et postremus genuini possunt haberi, mediis aperte ex altero Ethicorum opere interpolatis (2); denique Magnorum Moralium libri duo, quibus quasi sylloge editur universae disciplinae Peripateticorum (3). Quae autem ad Oeconomiam pertinent et Politicam cognominibus scriptis exposita sunt.

---

(1) Si nempe iniquam sortem reputamus, qua initio libri Aristotelis oppressi sunt (Strab. XIII. 1. Plutarch. Vit. Syll. 468. A. B.) non vero dissimile videtur, quum altera vice in lucem sunt editi, principalem inscriptionem Ἠθικὰ πρὸς Νικομ. corruptam fuisse atque hinc errorem natum. Quod quidem hoc ipsum fuerit opus, quod olim Aristotelis filio adtribuebatur, probabile judico: epitheton certe, quo Nicomachi opus insignit Piso apud Cic. Fin V. 5, qui *accurate* vocat *scriptos de moribus libros* optime in illud convenit, melius saltem quam in Μεγάλ. Ἠθικ. libros duos, quos d. Cic. l. significari doct. Titze suspicatur p. 43. sq.

(2) Cff. J. G. Buhle de distrib. libb. Arist. in Exot. et Acroam. 1786. p. 81. Titze p. 40 sqq.

(3) Ingeniosa et, ni fallor, verissima est conjectura doct. Titzii p. 43, sub titulo Μεγάλ. Ἠθικῶν subintelligentis συλλογή, quo remedio penitus tollitur difficultas, quae priores turbaverat interpretes (cf. Buhle p. 79), quam scil. ob causam haec scripta moralia ab auctore *magna* nuncupentur. Ceterum neque de Eudem. neque de Magn. Mor. magnifice statui solet, et utrumque opus a multis viris doctis Aristoteli abjudicatur. Quaestionem hanc pluribus tentare inopportunum est, quum Ethica ad Nicom. scripta abundam nobis praebeant materiem, unde disciplina Aristotelis moralis rite adumbretur.

Aristoteles primus fuit (tum enim Heracliti *fluvium, in quem non bis descendas* (1), tum Protagorae *hominem mensuram* (2), tum Sophistarum cavillationes excipio: quae vel nullo modo cum morum doctrina conjuncta erant vel ducebant magis ad omnium rerum incertitudinis professionem, quam ad *moralis veritatis* considerationem) primus, inquam, qui et Ethicae disciplinae evidentiam eam, quae in Physicis studiis cernitur. abjudicaverit et tamen hac in re nullam causam sitam esse existimaverit, cur levius excoleretur (3). Nequaquam quaestioni de moribus quasi praetexit, ut alii fecerant, judicium veri (4): quod praeterea collocabat in Empiria totum. In disciplina Aristotelis practica philosophiae pars praecedit theoreticam (5); — et ut morum praecepta aliquam vim obtineant, non primo loco enitendum est dis-

(1) Plutarch. EI apud Delph. 392. B. Quaest. Nat. 912. al. Cf. Cl. Schleiermacher Herakl. in Museo Antiq. edd. Wolf et Buttmann. T. I. p. 356 sqq.

(2) Plat. Theaet. 152. A. Cf. supra p. 110.

(3) Arist. Nicom. I. 1. 4. B.—D.

(4) Arist. Magn. Mor. I. 1. 146. A. *ὑπὲρ γὰρ τῶν ὄντων καὶ ἀληθείας λέγοντα, οὐκ ἔδει ὑπὲρ ἀρετῆς φράζειν. οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινόν.*

(5) Contrarium efficias ex cit. supra Cicer. l. Fin. V. 4: sed non sibi hac in re constat Cicero. Cf. Acad. post. I. 5. Diog. Laërt. post exhibitum Arist. libb. catal., cum duplicem esse dicat philos. Arist. rationem, priori loco vocat practicam, tum theoreticam. Et recte quidem, quandoquidem ab iis, quae cognita sunt, proficisci praecipiebat philosophus ad incognita, ea autem cognosci existimabat, quae quotidiana vitae consuetudine teruntur. Eth. Nicom. I. 2. Cf. Titze l. l. p. 19. sqq.

putatione, qua ipsorum palam fiant evidentia ac dignitas, sed requiritur antea ἕξις, habitus quidam, irae et cupiditatum immunis (1), quo animus velut praeparatus sit, ut, quum jam persenserit esse aliquid bonum, facile ediscat, qua re et quo modo existat (2). Illa ἕξις, quae ipsa jam virtus est (3), institutione acquirenda est et exercitatione (4): non enim involuntaria est, quippe quae, si causis extra hominum arbitrium positis deberetur, neutiquam in eorum laudem accenseri posset (5). In eo Aristoteles de universa morum disciplina praeclare meritus est, quod tum in aestimandis bonis pravisque actionibus, quantopere liberi arbitrii habenda ratio sit, luculenter demon-

---

(1) Arist. Nicom. II. 1—4. p. 17. E. sqq. X. 10. 141. B.— 142. C.

(2) Nicom. I. 2. 5. D. *διὸ δεῖ τοῖς ἔθεσιν ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν καὶ δικαίων, καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν ἀκουσόμενον ἱκανῶς· ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι· καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως, οὐδὲν προςδεήσει τοῦ διότι.*

(3) Nicom. II. 4. 22. A.

(4) Nicom. II. 1—3.

(5) Ipsa Arist. ἕξεως notione liberi arbitrii usus necesse comprehenditur. Nicom. II. 4. 21. D. — 22. A. *Μετὰ δὲ ταῦτα τί ἐστιν ἡ ἀρετὴ, σκεπτέον· ἐπεὶ οὖν τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενα, τρία ἐστὶ, πάθη, δυνάμεις, ἕξεις, τούτων τι ἂν εἴη ἡ ἀρετή· ..... πάθη μὲν οὖν οὐκ εἰσιν, οὔθ᾽ αἱ ἀρεταὶ οὔθ᾽ αἱ κακίαι, ὅτι οὐ λεγόμεθα κατὰ τὰ πάθη σπουδαῖοι ἢ φαῦλοι· κατὰ δὲ τὰς ἀρετὰς ἢ κακίας λεγόμεθα· ...... οὔτε μὲν δυνάμεις εἰσίν· οὔτε μὲν ἀγαθοὶ λεγόμεθα τῷ δύνασθαι πράττειν ἁπλῶς, οὔτε κακοί· οὔτε ἐπαινούμεθα οὔτε ψεγόμεθα. καὶ ἔτι δυνατοὶ μὲν ἐσμὲν φύσει· ἀγαθοὶ δὲ ἢ κακοὶ, οὐ γινόμεθα φύσει· ..... εἰ οὖν μήτε πάθη εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ, μήτε δυνάμεις, λείπεται ἕξεις αὐτὰς εἶναι.*

straverit, tum hujus eximie exploraverit naturam (1).

Πᾶσα τέχνη, his verbis praecipuum de Moribus opus exorditur philosophus, *καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ· διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν, οὗ πάντα ἐφίεται.* Illa autem disciplina, quae, qui singulis artibus ac studiis propositi sint, simul complectitur fines, et ad *summum* tendit bonum, a quo reliqua illa bona pendent omnia, merito *κυριωτάτη* videtur et omnium *μάλιστα ἀρχιτεκτονική* (2). Talis autem est politica, quae, si jam magnum aliquod statuitur, quae singulis conducant hominibus, reperire, eo excelsiori laude digna erit, quum universae civitati et consequatur salutem et probe conservet (3). Quid vero sit summum bonum, qua maximopere de re ambigitur (4), non recte intelligi potest, nisi nostra ipsorum, quibus illud exstare debet, rite natura perspecta sit (5). Perperam enim isti egerunt, qui in quaestione de *bono*, quid absolute et per se bonum sit, investigando inutilem operam navarint, dum illud, quod in humanam quadret naturam eique maxime conveniat, indagare omitterent (6).* Duabus homo par-

(1) Cf. Arist. Nicom. III. 1—8.
(2) Nicom. I. 1. 3. D. 4. A. Polit. III. 12. 352. B.
(3) Nicom. I. 1. 4. A. B.
(4) Nicom. I. 2. 5. B.
(5) Nicom. I. 6. 9. B.
(6) Nicom. I. 4. 7. E. 8. A. X. 7. 138. C. D. Magn. Mor. I. 1. 146. B.

tibus constat, irrationali, quam cum cunctis animalibus habet communem, et rationali, qua eximie homo existit, et cujus igitur habita ratione vivendi atque agendi finis proponi debet (1). Disquisitione exin instituta contendit Aristoteles summum bonum esse ἐνέργειαν ψυχῆς κατ' ἀρετὴν (2), *actionem* (3) *animae virtuti congruentem.* Haec enim ἐνέργεια effectrix est et ipsa quasi continua series (4) virtutis legibus accommodate factorum, quae, quum *propter se ipsa* excolantur, egregie singula indolem exhibent, qua praesertim summum bonum dignoscitur (5). Cernitur autem in hac boni notione duplex εὐδαιμονίας, *beatitudinis*, genus, alterum divinum, quod ex virtute percipitur *intellectuali* (sunt enim duae virtutum species, altera earum, quae a ratione proficiscuntur, διανοητικῶν, altera earum quae ad mores pertinent, ἠθικῶν (6)), quoque animus fruitur, quan-

(1) Arist. Nicom. I. 6. 9. C. D. Polit. VII. 13. 441. C. D.
(2) Nicom. I. 6. 9. E.
(3) *Actionem* eo sensu, quo h. l. intelligimus, vocat Cicero Off. I. 6.
(4) Adjicit propterea post definitionem suam Arist. d. l. ἔτι δὲ ἐν βίῳ τελείῳ, μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα· οὕτω δὲ οὐδὲ μακάριον καὶ εὐδαίμονα μία ἡμέρα, οὐδὲ ὀλίγος χρόνος.
(5) Nicom. X. 6. 136. C. δῆλον, ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν, τῶν καθ' αὑτὰς αἱρετῶν τινὰ θετέον καὶ οὐ τῶν δι' ἄλλο. οὐδενὸς γὰρ ἐνδεὴς ἡ εὐδαιμονία, ἀλλ' αὐτάρκης· καθ' αὑτὰς δ' εἰσὶν αἱρεταὶ, ἀφ' ὧν μηδὲν ἐπιζητεῖται παρὰ τὴν ἐνέργειαν· τοιαῦται δ' εἶναι δοκοῦσιν αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις· τὰ γὰρ καλὰ καὶ σπουδαῖα πράττειν, τῶν δι' αὑτὰ αἱρετῶν. Cf. I. 5. 8. C. D.
(6) Nicom. I. 13. 17. C. II. 1. 17. E.

SECTIO NONA.

DE ARISTOTELE.



Alter justitiae patronus (hoc quippe nomine Platonem et Aristotelem appellat Lactantius (1)) a Cicerone etsi postponatur magistro, eundem tamen tibi adspitulantem habebis, si reliquorum omnium philosophorum antiquitatis facile principem judicaveris (2). Atque hanc laudationem Ciceronis nequaquam justo magnificentiorem esse, qui vel primoribus labris philosophiam Aristotelis degustaverit, sponte quisquis fatebitur. Verum enim vero, nisi difficile esset, quin etiam incongruum, rerum maxime diversarum instituere comparationem, appareret fortasse Stagiritae parum potius quam nimium laudis esse tributum. Quodsi enim in Platone mireris ingenii facilitatem et elegantiam, qua subtilissimas quasque quaestiones et perspexerit ultro et dilucide ornateque exposuerit, non minorem Aristoteles meretur laudem, qui aptiori et diligentiori forma omnem induerit philosophiae tractationem. Accedebat doctrinae copia plane singularis, tum universae philosophiae antiquioris plena notitia. Missa autem omni comparandi libidine, non ineptum nobis neque insulsum

(1) Lactant. Inst. V. 14. 5.
(2) Cic. Tusc. I. 10.

liberalitatem (ἀνελευθερίαν), quae semper in nimium accipiendo, in dando autem parum versatur, et prodigalitatem (ἀσωτίαν), quae contrario vitio peccat (1): sed quaenam mediocritas ista sit, non absolute pronunciare oportet, cum pendeat a conditione, qua singuli gaudent homines et rebus saepe fortuitis, quibus illa usu veniat (2). Vocat propterea Aristoteles virtutem non *absolute* medietatem, sed μεσότητα οὖσαν τὴν πρὸς ἡμᾶς (3), quae pro temporum, rerum externarum, conditionis nostrae varietate quocunque casu diversa est (4). Proponuntur haec a philosopho universae suae disciplinae appositissime: qui nimirum in principiis Ethices evidentiam desiderare se confessus sit, qui nunquam, quod Plato praeceperat, ad perfectionem docuerit tendendum esse humanam superantem naturam, qui diserte Socratem reprehenderit, quod eandem viri, mulieris, liberorum, verbo eandem omnium virtutem esse dixerat (5). Ne igitur offendat aliquem, quod ex principio Aristotelico necessario profluat, non certo definiri posse neque sibimet constare ubivis virtutem. Sed aliud est, quod justam, opinior, non aeque effugiat animadversionem. Scilicet, quam quisque virtutem

(1) Arist. Nicom. II. 7. 24. B. C.
(2) Nicom. IV. 2. 44. D. E.
(3) Nicom. II. 6. 23. C. Cf. 5. 22. E. μέσον δὲ οὐ τὸ τοῦ πράγματος, ἀλλὰ τὸ πρὸς ἡμᾶς.
(4) Nicom. II. 5. 22. D. 23. A.
(5) Polit. I. 13. 311. B.

proprio tramite insistentem, rerum Divinarum causas anquirentem, τοῦ ὄντως ὄντος scientiam venantem. Aristotelicae disciplinae indolem si recte cognoscere velimus, reputare oportet et institutionem Platonis, et antiquiori philosophiae diligentissimam operam navatam ejusque accuratissimam, pro illo tempore, acquisitam notitiam, et ingenium philosophi ad judicandum ac corrigendum, quam ad effingendum atque exornandum pronius. Si vere dici potest Socratis doctrina temporum, quibus vixit, deberi necessitati, non inferiori jure statueris, Aristotelicam nunquam talem, qualis ab auctore edita est, fuisse prodituram, nisi eâ esset tunc temporis philosophia conditione usa, quam ex superioribus, spero, aliquo modo habemus perspectam. Etenim quisquis in Aristotelis scriptis non omnino hospes existit, veterum placita, sive diserte appellantur, sive tacite innuuntur, respici ubivis, laudari, notari, corrigi, necesse est animadverterit. Neque opus est ideo, ut simultatem illam, quam intercessisse perhibent ipsum inter et Platonem, urgeamus. Quamvis enim haec traditio non omni fundamento destituta videtur, potest tamen facile etiam aliunde causa repeti, cur praesertim Platonis doctrina ab Aristotele agitetur; et hic praeterea, quatenus sibi innotescere poterat, nullam philosophorum doctrinam irreprehensam reliquit. Hoc ingenium elucet in universa philosophia Aristotelis, neque in ipsius placitis tantum, sed spectatur etiam in forma disse-

rendi. Saepe fit, ut cum rationem jam praescripserit, qua materiem aliquam tractare sibi proposuisset, in repentinam quandam incidat alicujus placiti commemorationem, ac quasi invitus in media via consilium mutet (1).

Sed ab altera parte decet grato animo ingentem perpendere utilitatem, quae ex eadem hac causa sapientiae studio profluxit. Qui enim superiorum philosophorum acute errores deprehenderet, summopere cavit, ne eorumdem vitiorum reus evaderet, et in multis adeo rebus sibi posterisque novam ac probabiliorem viam munivit. Hoc imprimis ipsi displicebat in veterum disquisitionibus, quod singularum disciplinarum non satis diversas disposuerant rationes, itaque mirum in modum conturbaverant veri investigationem. Acciderat hoc duplicem ob causam, alteram in disputationis recte ordinandae artis defectu positam, alteram in studio philosophorum uno omnem doctrinam et physicam et ethicam comprehendendi principio. Aristoteles quo magis hoc studium improbavit (improbavit autem vehementissime: hinc Pythagorae numeros οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν θεωρίαν nuncupavit (2), hinc reprehendit Platonem, quod cum quaestione de moribus illud

(1) Cf. Fülleborn Einleit. z. Arist. Polit. übers. von Garve p. 7. sqq.

(2) Arist. Magn. Mor. I. 1. 145. C. Iterandum hoc loco duco, me usum esse Edit. Duvall. 1629, quando quidem in Arist. libb. capitibus distinguendis maximopere discrepant editiones.

me, quippe cum ipsa supremi numinis natura conjunctissimam (1). Duxit certe, ut videtur, viam indicasse tutius. Secundo loco δίκαιον, subjective, quod ajunt, sumptum, eum rei moralis (2) statum denotat, quo diversae ejus partes ita comparatae sunt, ut maxime juvent ad finem rei propositum prosequendum. Justitia haec instrumentum est, quo aptetur homo perfectissimis

---

λῶν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν — οὔτε αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν οὐδὲν φήσεις εἰδέναι τὸν οὕτως ἔχοντα, οὔτε ἄλλο ἀγαθὸν οὐδέν. Sed nihilominus ipse nusquam hanc ideam διορίζεται et dubitanter ubivis ac incerto de ea loquitur. Testatur quidem magnam ejus efficaciam, vim, dignitatem; describit nunquam. Ἀλλ' ὦ μακάριοι, inquit Rep. VI. 506. D. E. 507. A., αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστὶ τἀγαθὸν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι· ..... ὃς δὲ ἔκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ, λέγειν ἐθέλω, ... Βουλοίμην ἄν, εἶπον, ἐμέ τε δύνασθαι αὐτὴν ἀποδοῦναι καὶ ὑμᾶς κομίσασθαι, ἀλλὰ μή, ὥσπερ νῦν, τοὺς τόκους μόνον. Similiter in Philebo, postquam *bonum* jam vocaverat causam mixtionis infiniti ac finiti, et pretiosissimum simul, quod in eâ insit commixtione, accuratius tandem descripturus, quid ipsum sit, fatetur non una ideâ nos posse venando *bonum* adsequi; si vero conjungamus illud cum κάλλει et συμμετρίᾳ et ἀληθείᾳ, tunc causam nos habituros eorum, quae commixta sunt ipsiusque commixtionis causam (Phileb. 65. A.). Nullibi hanc ideam sive ullam aliam definivit Plato. Queritur etiam saepissime, quod difficillimum sit talia, etsi quis persentiat, cum aliis communicare. Literae certe nequaqnam huic usui ipsi inservire posse videbantur. Cf. Phaedr. 276. C. 278. C.

(1) Theaet. 176. B. Rep. X. 613. A. Cf. Albini Esagoge p. 115.

(2) Sola enim natura moralis, sive homo, sive civitas, quae quasi grandiorem exhibet hominis imaginem, justitiae particeps censenda est. Cff. Menex. 237. D. Tim. 41. C.

justi simulacris: quapropter sedulo id custodire nos oportet, τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν ἐπονομάζοντας νόμον (1). Tertio significatur justitia, quae solitis reliquorum philosophorum disputationibus habetur, quae pars capitalis est virtutis, in quatuor partes distributae. Hanc saepissime, vel imo in ratiocinationibus de interiori justitiae indole, nuncupat Plato, eique, quamvis ejusdem notionem corrigere studeret, orationis tamen gratiâ vulgarem sensum tribuere pergit. Oritur ejus desiderium simul cum civitate hominum studio sibi consulere conantium, et in qualicunque societate perpetua est legum procreatrix, quae id spectant, ut singulorum commoda communi salute comprehendantur (2); consistit autem in consentaneis actionibus aliis hominibus praestandis (3). Denique de constituto jure voces accipiuntur crebro, praesertim quo ad Socraticam magis mentem accedit argumentatio Platonis (4).

---

(1) Legg. IV. 714. A. Cf. Legg. XII. 957. C.
(2) Legg. I. 644. D. sqq.
(3) Gorg. 507. B.
(4) V. c. in Apol., Critone, Gorgiâ; etiam Rep. I, ubi disputatio cum Thrasymacho habita plane indolem spirat Socraticam.

SECTIO NONA.

DE ARISTOTELE.



Alter justitiae patronus (hoc quippe nomine Platonem et Aristotelem appellat Lactantius (1)) a Cicerone etsi postponatur magistro, eundem tamen tibi adspitulantem habebis, si reliquorum omnium philosophorum antiquitatis facile principem judicaveris (2). Atque hanc laudationem Ciceronis nequaquam justo magnificentiorem esse, qui vel primoribus labris philosophiam Aristotelis degustaverit, sponte quisquis fatebitur. Verum enim vero, nisi difficile esset, quin etiam incongruum, rerum maxime diversarum instituere comparationem, appareret fortasse Stagiritae parum potius quam nimium laudis esse tributum. Quodsi enim in Platone mireris ingenii facilitatem et elegantiam, qua subtilissimas quasque quaestiones et perspexerit ultro et dilucide ornateque exposuerit, non minorem Aristoteles meretur laudem, qui aptiori et diligentiori forma omnem induerit philosophiae tractationem. Accedebat doctrinae copia plane singularis, tum universae philosophiae antiquioris plena notitia. Missa autem omni comparandi libidine, non ineptum nobis neque insulsum

(1) Lactant. Inst. V. 14. 5.
(2) Cic. Tusc. I. 10.

nibus idem, sed ut cuique pro dignitate tribuatur (1). Avide hanc in posterum philosophi et omnes tandem boni cives arripuerunt et strenue propugnarunt ἰσότητος explicationem, qua videlicet et cupiditatibus populi et Sophistarum rationibus obviam iretur (2). Sed videamus de Aristotele. Hic, sicuti quavis in re ante oculos habuit antiquiorum philosophorum imprimisque magistri placita, sic nunc etiam facile se hanc litem componere posse confidebat, et utrique suum aequalitati restituere honorem, si recte justitiae partes distingueret. Quod enim arithmetica aequalitas, quae ad solum numerum personarum adtendit, non utique rejicienda, sed tum in delictis computandis, in quibus, quis deliquerit et erga quem, non quaeritur, tum in contractibus, quippe qui mutua contrahentium voluntate ineuntur, conservanda sit, constare ipsi videbatur. Ad haec autem spectat jus διορθητικὸν (3). Verum jure διανεμητικῷ, quod ad munera et pecuniam et universa pertinet commoda, inter ejusdem reipublicae vel societatis socios dividenda, aequale non tribuitur neque aestimatur quidem, nisi *observata cujusque dignitate*, κατ' ἀξίαν (4). Hac de re, ait Aristoteles, consentiunt omnes, sed qua ratione

(1) Plat. Legg. VI. 757. B. C. Cf. supra p. 233.
(2) Cf. p. 38.
(3) Arist. Nicom. V. 7. 63. Cf. 5. 61. B. C.
(4) Nicom. V. 5. 61. B. 6. 62. A. Cf. Polit. III. 9. 347. D. E. 12. 352. C. sqq.

proprio tramite insistentem, rerum Divinarum causas anquirentem, τοῦ ὄντως ὄντος scientiam venantem. Aristotelicae disciplinae indolem si recte cognoscere velimus, reputare oportet et institutionem Platonis, et antiquiori philosophiae diligentissimam operam navatam ejusque accuratissimam, pro illo tempore, acquisitam notitiam, et ingenium philosophi ad judicandum ac corrigendum, quam ad effingendum atque exornandum pronius. Si vere dici potest Socratis doctrina temporum, quibus vixit, deberi necessitati, non inferiori jure statueris, Aristotelicam nunquam talem, qualis ab auctore edita est, fuisse prodituram, nisi eâ esset tunc temporis philosophia conditione usa, quam ex superioribus, spero, aliquo modo habemus perspectam. Etenim quisquis in Aristotelis scriptis non omnino hospes existit, veterum placita, sive diserte appellantur, sive tacite innuuntur, respici ubivis, laudari, notari, corrigi, necesse est animadverterit. Neque opus est ideo, ut simultatem illam, quam intercessisse perhibent ipsum inter et Platonem, urgeamus. Quamvis enim haec traditio non omni fundamento destituta videtur, potest tamen facile etiam aliunde causa repeti, cur praesertim Platonis doctrina ab Aristotele agitetur; et hic praeterea, quatenus sibi innotescere poterat, nullam philosophorum doctrinam irreprehensam reliquit. Hoc ingenium elucet in universa philosophia Aristotelis, neque in ipsius placitis tantum, sed spectatur etiam in forma disse-

rendi. Saepe fit, ut cum rationem jam praescripserit, qua materiem aliquam tractare sibi proposuisset, in repentinam quandam incidat alicujus placiti commemorationem, ac quasi invitus in media via consilium mutet (1).

Sed ab altera parte decet grato animo ingentem perpendere utilitatem, quae ex eadem hac causa sapientiae studio profluxit. Qui enim superiorum philosophorum acute errores deprehenderet, summopere cavit, ne eorumdem vitiorum reus evaderet, et in multis adeo rebus sibi posterisque novam ac probabiliorem viam munivit. Hoc imprimis ipsi displicebat in veterum disquisitionibus, quod singularum disciplinarum non satis diversas disposuerant rationes, itaque mirum in modum conturbaverant veri investigationem. Acciderat hoc duplicem ob causam, alteram in disputationis recte ordinandae artis defectu positam, alteram in studio philosophorum uno omnem doctrinam et physicam et ethicam comprehendendi principio. Aristoteles quo magis hoc studium improbavit (improbavit autem vehementissime: hinc Pythagorae numeros οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν θεωρίαν nuncupavit (2), hinc reprehendit Platonem, quod cum quaestione de moribus illud

(1) Cf. Fülleborn Einleit. z. Arist. Polit. übers. von Garve p. 7. sqq.

(2) Arist. Magn. Mor. I. 1. 145. C. Iterandum hoc loco duco, me usum esse Edit. Duvall. 1629, quando quidem in Arist. libb. capitibus distinguendis maximopere discrepant editiones.

Hugonis Grotii (1) ingenio profecta. »Non recte autem universaliter positum hoc fundamentum vel ex justitia apparet, cui oppositum nimium et parum, cum in affectibus et sequentibus eos actionibus invenire non potest, in rebus ipsis, circa quas justitia versatur, utrumque quaesivit: quod ipsum primum est desilire de genere in genus alterum, quod in aliis merito culpat. Deinde minus suo accipere, potest quidem adventitium habere vitium, ex eo, quod quis pro rerum circumstantiis sibi ac suis debeat; at certe cum justitia pugnare non potest, quae tota in alieni abstinentia posita est".

Prior illa criminatio gravissima est, eique omnes adstipulabuntur, qui nulla opinione reguntur praejudicata: sed potest tamen eludi quodam modo, si statuas non in eo solo, quod nimium est vel parum cerni injustitiam, sed etiam in ipso homine, qui extrema ista sumat vel tribuat; quapropter vel ipse Aristoteles non solam mediocritatem inter lucrum et damnum positam respexit, sed etiam inter τὸ ἀδικεῖν et τὸ ἀδικεῖσθαι: quamvis haec igitur eludi *possit*, inquam (qui enim incorrupto judicio utitur, nunquam consentiet τὸ ἀδικεῖσθαι *habitum* existimari posse ac versari in

---

(1) H. Grot. de J. B. et P. Praef. §. 44. Cf. etiam Barbeyrac. in Ann. ad h. l. Iniquo modo in Grotium invehitur J. F. Gronovius in Ann. ad l. c. atque Aristotelis partes tueri conatur, quem tamen, si ex dicta annot. judicare licet, non probe intellexit.

affectu vel *actione*), manet tamen certissime altera Grotii animadversio, quam quamvis aliquo modo effugere conatus sit Aristoteles statuendo, non sponte sua aliquem ἀδικεῖσθαι, at quidem βλάπτεσθαι posse (1), tamen τὸ ἀδικεῖσθαι, immo propterea quod praeter voluntatem accidat, nemini unquam vitio verti poterit (2). Non igitur haec *virtus*, justitia, inter duo extrema *vitia* interest, quod tamen nisi locum habeat, claudicat universum Aristotelis systema: *vitia* enim extrema esse postulatur. Inepte scilicet dixeris satis esse, si simpliciter inter duo extrema aequabiliter collocata sit virtus, quum id profecto cum quacunque re habeat virtus commune.

Primo loco de eo quaesivimus Aristotelis placito, quo cum universa virtute eodem justitia conjungebatur principio. Reliquas de justo sententias eo ordine prosequemur, quo ipse eas proposuit philosophus: si quidem is primus est, in cujus non diversis oportet vagari scriptis, ut dein undique congesta rite comparentur placita et disciplinae vinculo connectantur, sed qui cum pulcre inveniendi sollertia ordinate exhibendi diligentiam egregie copulaverit.

Velut in superioribus disquisitionibus (3), a

(1) Nicom. V. 11. 70. B.
(2) Quod ipse confitetur Arist. Nicom. V. 15. 73. C.
(3) Nicom. V. I. 58. B. ἡ δὲ σκέψις ἡμῖν ἔστω κατὰ τὴν αὐτὴν μέθοδον τοῖς προειρημένοις.

nominibus recte distinguendis exordium sumit philosophus. *Ὁρῶμεν δὴ πάντας*, inquit, *τὴν τοιαύτην ἕξιν βουλομένους λέγειν δικαιοσύνην, ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσί, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ ἀδικίας, ἀφ' ἧς ἀδικοῦσι καὶ βούλονται τὰ ἄδικα.* Quum autem multifariam justitia et injustitia dicantur, hinc opportunitas duci poterit recte diversam earum dignoscendi naturam. Injustus v. c. habetur *ὁ παράνομος* et *ὁ πλεονέκτης* et *ὁ ἄνισος*: justus igitur est *ὁ νόμιμος* et *ὁ ἴσος*, justum *τὸ νόμιμον* et *τὸ ἴσον*, injustum *τὸ παράνομον* et *τὸ ἄνισον* (1). Ex priori illa definitione, quod *ὁ παράνομος ἄδικος* est, apparet, quod *πάντα τὰ νόμιμά ἐστί πως δίκαια* (2). Illud *πως* vexavit interpretes, et Muretus (3) duplicem adstruit explicandi rationem, alteram a Michaële Ephesio, alteram a Divo Thoma propositam. Quod fere fieri solet, ut, quae prope ob oculos posita sunt, negligantur longinquorum gratia, id hic etiam obtinuit. Causa enim, cur particula adjecta sit, in promptu est et proxime subsequitur: *τά τε γὰρ ὡρισμένα ὑπὸ τῆς νομοθετικῆς, νόμιμά ἐστι· καὶ ἕκαστον τούτων δίκαιον εἶναι φαμέν.* Omnia legitima justa sunt *quodammodo*, scil. *eo sensu, quo legitima existimantur ea, quae a scientia legum ferendarum de-*

(1) Arist. Nicom. V. 2: 58. E.
(2) Nicom. V. 3. 59. B.
(3) Muret. in Arist. Eth. Comm. Opp. ed. Rhunk. T. III. p. 364 sq.

finita sunt. Quod additamentum quo gravius est, eo doleo magis a commentatoribus aut penitus esse praetermissum (1), aut leviter adnotatum (2). Continet enim, me judice, insigne momentum, quo universam hanc Ethices partem dijudicare oportet. Non enim jam justa habenda, quae in civitatibus *constituta sunt*, sed quae *constitui debuerunt.* Qui autem leges ponit, si modo bonae futurae sint, λόγος est (3): hoc ex Platonis institutione prehenderat et servarat discipulus. *Τοῦ δὲ νομοθέτου τοῦ σπουδαίου*, qui λόγον ducem sequitur, hoc augustum munus est *τὸ θεάσασθαι πόλιν καὶ γένος ἀνθρώπων, καὶ πᾶσαν ἄλλην κοινωνίαν, ζωῆς ἀγαθῆς πῶς μεθέξουσι, καὶ τῆς ἐνδεχομένης αὐτοῖς εὐδαιμονίας* (4). Est *πολιτικῆς διανοίας καὶ θεωρίας* ita civitatis omnia disponere, ut malint quique sociali vinculo contineri (5); est *νομοθετικῆς* de-

---

(1) Garvius v. c. in Eth. vers. I. 179. plane neglexit sub νομοθετικῆς nomine subintelligi ἐπιστήμης, ita verba referens. » Nun nennen wir aber alles, was von der Gesetzgebenden Macht in einem Staate festgesetzt worden ist, Gesetz; und jede damit übereinstimmende Handlung werden wir also auch in gewisser Absicht gerecht nennen müssen.

(2) Adtigit Muretus l. l. p. 365, sed neque copulavit cum prioribus, neque illius sententiae vim in praesentem quaestionem declaravit.

(3) Nicom. V. 10. 67. A. Polit. III. 16. 360. B.

(4) Polit. VII. 2. 428. A. Cf. Nicom. V. 3. 59. C. ὥστε ἕνα μὲν τρόπον δίκαια λέγομεν, τὰ ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ τῆς εὐδαιμονίας, καὶ τῶν μορίων αὐτῆς, τῇ πολιτικῇ κοινωνίᾳ.

(5) Polit. VII. 2. 426. C. D.

nique, qui singulis universae virtutis finis est, ad eam εὐδαιμονίαν omnem civitatem legibus munire, instituere, dirigere. Nisi ea demum a philosopho νόμιμα aestimarentur, quae a Divina illa scientia originem trahant, quam absurde dixisset, justitiam generali acceptam sensu, quo cuncta legitima complectatur, plane eandem esse atque virtutem, diversa tantummodo ratione consideratam. Καθ' ἑκάστην γὰρ, inquit, ἀρετὴν προστάττει ζῆν, καὶ καθ' ἑκάστην μοχθηρίαν κωλύει ὁ νόμος (1). Si νόμος intelligitur in civitate constitutus, quid morali erat disciplina opus? Scilicet legem nosse suffecerit. — Itaque justa quidem non separavit Aristoteles a civitate: etenim extra societatem civilem non vivi posse arbitrabatur; sed ea tamen existimavit sola, quae cum suprema ratione consentirent (2). An, si ad hoc satis adtendissent recentiores, ipsis necesse fuisset, ex inferiori quadam divisione, quam obiter solum subnotat philosophus, liberalioris ingenii repetere indicia? Sed ipsi nobismet ne antevertamus praecurramusve, suumque ista remittamus ad locum.

Justitiae, quatenus cuncta, quae legibus praescribuntur, complectitur, amplissima notio est, quando quidem illa ab universa virtute non dif-

---

(1) Arist. Nicom. V. 5. 61. A.

(2) Ἐπιεικὲς e. g. quod *naturâ justum* vocat Rhet. I. 15. 543. D. idem est, quod ipse legislator praecepisset, si de caussa ista, qua usu veniat, legem tulisset. Nicom. V. 16. 72. C.

fert. Etenim οἱ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων·..... προςτάττει δὲ ὁ νόμος, καὶ τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν...... καὶ τὰ τοῦ σώφρονος..... καὶ τὰ τοῦ πρᾴου·.... ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὰς ἄλλας ἀρετὰς καὶ μοχθηρίας, τὰ μὲν κελεύων, τὰ δ' ἀπαγορεύων (1). Quapropter justitia habetur ab Aristotele τελεία ἀρετή, duplici quidem sensu, priori, quo distinguitur ab ea justitia, quae ἐν μέρει ἀρετῆς versatur, et quo dicitur quoque ὅλη ἀρετή; altero, quo ipsius notio discernitur etiam ab absoluta virtutis notione: est enim τελεία quidem, at οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον: μάλιστα tamen, τελεία, ὅτι τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσίς ἐστι· et ὅτι ὁ ἔχων αὐτὴν, καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν (2).

Satis haec perspicua sunt, neque nos morarentur diutius, nisi nuper doctus Germanus aliquis tam magnifica de hoc Aristotelis placito prodidisset (3), ut si ad alia transiremus illico, quasi injuria affecisse Aristotelem videremur, ipsi videlicet *tribuentes parum.*

Videtur autem sibi vir Cl. in divisione justitiae, quam attigimus jam et mox uberius exponemus, in universalem et particularem, admirabilia quaedam invenisse ac praesertim in Aristotelica justitiae universalis notione, qua ex ejus sententia gravissimae illi de nexu ethicam inter et

(1) Arist. Nicom. V. 3. 59. B. C. Cf. V. 5. 1. c. Rhet. I. 9. 531.
(2) Nicom. V. 3. 59. D.
(3) C. A. v. Dröste-Hülshoff de Arist. just. univ. et part. cet. Bonn. 1826.

jurisprudentiam quaestioni perfecte respondetur. Quod ea secundum Aristotelem propria justitiae nota est, quod cum universa virtute plane convenit, hoc excepto, quod πρὸς ἕτερον consistit, haec, ipso judice, »tam acuta tamque frugifera sententia ést, ut satis admirari non possis Aristotelem, cujus aetate nemo pro historiarum memoria tam perspexerat veram justitiae naturam, cujus vero post decessum integra saecula propter illius notae ignorantiam innumeris oppressa vitiis se ipsamet frustaverunt plurimis eorum bonorum, quae vitam tranquillam reddant et beatam, quae mores emolliunt et genus humanum ad veram virtutem et justitiam instituunt" (1).

Nos in judicando celebratam illam Aristotelicam mediocritatem conservare studebimus, neque sane philosophorum laudibus detrahentes, neque addentes immodice. Saepe jam vidimus in hac etiam materia quot immerito veteribus tribuantur inventa, ab ipsorum mente prorsus aliena. Et rursus hoc loco grandia illa ingenue fatemur nostram superare aciem. Nimirum instabili videtur fundamento omnis viri laudati superstructa disputatio. Audiamus ipsum (2). »Non dubitaturum credimus aliquem, quin ex Aristotelis sententia justitia universalis per se plane eadem sit ac virtus, quippe quod ipse haec duo esse pro iisdem ac-

(1) L. c. p. 1, 4, 16.
(2) P. 14. sqq.

cipienda iterum iterumque profiteatur. In eo solo differunt, quod justitia est virtus *comparate* considerata, cum virtus per se sit virtus *absolute* sive simpliciter considerata". Huc usque verissime sunt et egregie dicta, in qua sententia vellem probe stetisse auctorem. Verum sic pergit. »Itaque cum virtus sit ea vis animi, quo quis hominis officia explet, justitia eadem vis est, quatenus officiis erga alios obligamur, cum in his solis virtutis usus aliquis ad alterum, ut Aristoteles dicit, intercedere possit. Recte ergo justitia ea animi vis sive voluntas dicitur, qua quis omnibus erga alios officiis perfecte fungitur". Jam distinguuntur ipsa officia, quod, opinor, Aristotelis doctrinae valde incongruum est. Virtus enim et justitia eadem plane officia complectuntur, nempe ea praescripta legibus a scientia legum ferendarum profectis (1): verum enim si diversa praeciperent, non potuissent prorsus eadem res vocari. Neque magis igitur verum est, ex Aristotelis sententia etiam extra illam justitiam virtutem esse posse, quod ex minus bene intellecto philosophi loco alibi vir Cl. docet (2). Distinctio Aris-

(1) Arist. Magn. Mor. I. 34. 164. E. 165. A. — Nicom. V. 5. 61. A. dicit σχεδὸν τὰ πολλὰ, quandoquidem νόμιμα insuper comprehendunt τὰ νομικά. Cf. V. 10. 67. D.

(2) L. c. p. 13. Vide Nicom. V. 3. 59. D. πολλοὶ γὰρ κ. τ. λ. — Sunt quidem virtutis *partes* quaedam, quae magis erga alios, quam erga nosmet ipsos esse videntur; sed generali sensu intellecta, virtus semper erga alios est aliquo

mo-

totelis plane logica est; non rem in duas partes distribuit, sed duplici modo posse considerari perhibet: quatenus virtus ethica, simpliciter, per se, nulla ratione adjecta, tanquam ἕξις consideratur, nuncupatur *virtus;* quatenus virtus ethica consideratur tamquam ἕξις, quae semper quodammodo pertinet ad alios, *justitia* (1). Qui velint philosopho hanc laudem conciliare, quod primus de nexu ethices et jurisprudentiae cogitaverit, minus honorifice de ipso statuunt, quam sibi videntur: quum si hoc merito ipsi tribuatur, confiteantur necesse est, indigne illum hae in re et palam et non uno profecto loco sibi esse oblocutum. Neque, ut alia mittamus, in citatis opusculi verbis placet hoc, quod dicimur obligari *officiis erga alios:* obligamur legibus, docente Aristotele. Universe veteres interpretes in talibus quaes-

---

modo, cujus habita ratione vocatur justitia. De omnibus enim rebus leges praecipiunt, quibus violandis etsi non directe aliquis alii noceat, peccat tamen adversus omnes, propter civitatis communitatem. Hinc, qui sibi manus violentas infert, *universam civitatem* injuria afficit. Nicom. V. 15. 72. E. 73. A.

(1) Disertis verbis id confirmat ipse Arist. Nicom. V. 3. 60. A. *τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων· ἔστι μὲν γὰρ ἡ αὐτή· τὸ δ' εἶναι, οὐ τὸ αὐτό· ἀλλ' ᾗ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη· ᾗ δὲ τοιάδε ἕξις ἁπλῶς, ἀρετή.* Jam olim ita legendum propositum est, ut cum v. *ἀρετή ἁπλῶς* conjungeretur, et separaretur a v. *ἕξις:* quam rationem etiam Muretus et Garvius in vertendo secuti sunt: sed, ni vehementer fallor, vulgata lectio retinenda est. *Ἕξις* enim *ἁπλῶς* opponitur *ἕξει πρὸς ἕτερον*, ut super. Cap. *ἀρετὴ τελεία ἁπλῶς* illi virtuti quae *τελεία πρὸς ἕτερον* est.

tionibus credo melius Aristotelis mentem assecutos esse, quam plerosque recentiores, quibus semper in hoc argumento tractando ob oculos versantur et externa libertas et jus cogendi et a moribus separata disciplina juris et reliqua hujusmodi.

Ceterum si vel docuisset philosophus, in iis solis versari justitiam officiis, quae ad alios pertinent, non novi quid invenisse existimandus esset. Inde ab inita societate et juris accepta notione hoc sagacissimi quique animadverterant, neque, quando philosophi testimonio suo hanc veritatem confirmabant, populari opinioni non suffragari sibi videbantur (1). Immo, ut dicamus quod verum est, erat antiquitus philosophorum culpa aut meritum fortasse potius, quod cum reliquis ethices partibus adsidue justitia componebatur, quae publica opinione semper propriam quandam indolem retinuit et, sicut necessitati originem debuerat et conjunctim viventium commodis, ita maxime tamquam mutua hominum ratio considerari solebat.

Nequaquam praeterea Aristotelis consilium fuit, ut singularia quaedam hoc loco promeret, sed voluit, suo more, notiones corrigere ac definire, in superiori philosophia perperam confusas. Scilicet multijugis ista et vaga et inconstans justitiae appellatio in Socratica fere schola nata erat: *καλοὶ καὶ δίκαιοι* qui dicerentur, universa virtute emi-

---

(1) Cf. Plat. Gorg. 507. B. Protag. 317. B.

cabant. In Platonis Republica, ut supra vidimus, justitia et virtus indistincte nuncupatae erant, ac si nihil interesse censeretur. Offendebant haec limatius accuratiusque Aristotelis judicium, quod, ut omnibus notum est, qui aliquam cum Stagiritae scriptis contraxere familiaritatem, aegerrime patiebatur uni appellandae rei duo nomina inservire. Usu tamen generalior justitiae notio majorem in philosophia auctoritatem acquisiverat, quam ut facile omitti posset. Retinuit igitur noster, at ita quidem descripsit, ut cum vulgaribus sive virtutis universae sive justitiae, quae pars virtutis est, notionibus minime posset confundi.

Simul atque universalis justitiae notionem absolverat, studiosius particularem philosophus aggreditur, quae magis proprio nomine justitia vocatur. Non solum enim exstare universalem illam ex eo apparet, quod multa, quibus quis injuste agat seu violet leges, in specie aliis vitiorum nominibus designari soleant; alia vero sint, quae a nullo reliquae improbitatis genere sed ab una justitia appellentur. Si quis v. g. adulterium committat, vel clypeum in acie abjiciat, quae legibus vetita sunt, non tamen injustus, sed intemperans magis vel ignavus esse perhibetur: si quis autem eadem vel alia quaevis quaestus faciundi animo committat, eximie injustitia cernitur (1). Est istud lucri studium, quo tum ab

(1) Arist. Nicom. V. 4. 60. B. C.

universali justitia, tum a singulis ipsius partibus justitia specialis dignoscatur: *ὥστε φανερὸν ὅτι ἐστί τις ἀδικία παρὰ τὴν ὅλην ἄλλη ἐν μέρει, συνώνυμος*...... *ἀλλ' ἡ μὲν περὶ τιμὴν, ἢ χρήματα, ἢ σωτηρίαν, ἢ εἴ τινι ἔχομεν ἑνὶ ὀνόματι περιλαβεῖν ταῦτα πάντα, περὶ ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους· ἡ δὲ περὶ ἅπαντα, περὶ ὅσα ὁ σπουδαῖος* (1). Hoc primus aggressus est Aristoteles, quo disciplinam morum maximopere auxit, ut recte definiendo et criterio constituendo singulas virtutis species accurate disponeret.

Quod autem initio dictum erat de vocabulorum usu, hic egregie confirmatur. Vocari enim injustum *παράνομον* et *ἄνισον* observatum erat, justum *νόμινον* et *ἴσον*: ad priorem autem justitiam prius vocabulum, ad alterum posterius pertinet: manifesto enim patet, *τὸ ἄνισον* solummodo partem comprehendere ejus *ἀδίκου*, quod *παράνομον* est, quoniam omne *ἄνισον* quidem *παράνομον* est, non omne vero *παράνομον* in inaequalitate versatur (2).

---

(1) Arist. Nicom. V. 4. 60. C. D. Vulgo legitur *ἢ εἴ τινι..... περιλαβεῖν ταῦτα πάντα· καὶ δι' ἡδονὴν κ. τ. λ.* Sed tum ipsa oratio videtur nostram suadere emendationem, tum propria Aristotelis sententia, qui communi *lucri* nomine omnia complecti commoda mavult, quae injustus homo consequi conatur. Cf. 7. 63. B. etc.

(2) Nicom. V. 5. 60. E. *διώρισται δὴ τὸ ἄδικον, τό τε παράνομον καὶ τὸ ἄνισον· τὸ δὲ δίκαιον τό τε νόμιμον καὶ τὸ ἴσον. κατὰ μὲν οὖν τὸ παράνομον, ἡ πρότερον εἰρημένη ἀδικία ἐστίν. ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον καὶ τὸ παράνομον οὐ ταὐτὸν, ἀλλ' ἕτερον ὡς μέρος πρὸς ὅλον (τὸ μὲν γὰρ ἄνισον ἅπαν παράνομον, τὸ δὲ παράνομον οὐ*

Particularis justitiae itemque juris, quod ei consentaneum est, duae sunt species: altera in distribuendis versatur iis, quae inter ejusdem reipublicae socios dividi possunt, altera in dirigendis mutuis hominum rationibus, quae nulla lege constituuntur, sed ex actione aliqua originem ducunt: haec scilicet Aristoteli dicuntur *συναλλάγματα*. Sunt iterum duplicis generis: vel enim e mutuo consensu oriuntur, ut venditio, emptio, mutuum, fidejussio, commodatum, depositum, locatio et conductio, vel deficiente consensu partim clam fiunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servi alieni circumventio aut corruptio, per insidias allata nex, falsum testimonium, partim violenter, ut verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia (1).

Quid fuerit partitionis hujus Aristotelicae consilium, non satis intelligo, nisi factam suspicer, non ob ipsius praestantiam aut utilitatem, sed ut Ethices suae principia etiam hac in re philosophus tueretur. Medietatis enim notionem, in qua omnem virtutem posuerat, non eandem potuit cum omni justitia conciliare, igiturque, ne argumentis exemplisve obloqueretur suis, duplicem fecit justitiam,

---

πᾶν ἄνισον) καὶ τὸ ἄδικον καὶ ἡ ἀδικία οὐ ταὐτὰ, ἀλλ' ἕτερα ἐκείνων· τὰ μὲν ὡς μέρη, τὰ δ' ὡς ὅλα. Locum, variis commentatorum conjecturis tentatum, edidimus e probabili Mureti emendatione. V: hujus Ann. Opp. T. III. p. 383.

(1) Arist. Nicom. V. 5. 61. B. C.

cujus utraque in parte cum *ἰσότητι* perfecte *μεσό-τητι* conspiraret (1). Quantopere autem ipsi hac in re opitulabatur duplex aequalitatis significatio, quae in rem publicam philosophiamque irrepserat, declaravimus supra.

Aequalitatis illustranda notione defertur philosophus ad talionis commemorationem, ac Pythagoreorum, qui praecipue eam propugnaverant, sententiam argumentis confutat, ex superioribus disquisitionibus petitis (2).

Nunc autem accedimus ad quaestionem gravissimam. Nimirum Aristoteles non ab uno alterove, ut Socratem vidimus, sed communi fere recentiorum sententia Juris Naturalis perhibetur auctor, atque hoc nomine vel in tritissimis quidem libellis celebratur. Scilicet appellat *φυσικὸν δίκαιον*, nempe *τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή* et discernit a *νομικῷ, ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως· ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει* (3). Quam rem, ut justo pretio aestimemus, diligenter accurateque ipsam Aristotelis prosequamur disputationem.

Non est autem, ita infit, ignorandum, totam hanc quaestionem esse de eo jure, quod sim-

---

(1) Cf. Arist. Nicom. II. 7. 25. D. *περὶ δὲ δικαιοσύνης, ἐπεὶ οὐχ ἁπλῶς λέγεται, μετὰ ταῦτα διελόμενοι, περὶ ἑκατέρας ἐροῦμεν, πῶς μεσότητές εἰσιν.*

(2) Nicom. V. 8. 64. B. sqq. Cf. nos supra p. 78. sq.

(3) Nicom. V. 10. 67. D.

pliciter jus est, id est de jure civili: id autem est inter eos, qui vitae societatem inierunt, ne qua re ad vivendum necessaria egerent, liberi et aequales, aut ad analogiam, aut ad numerum (1). Inter eos igitur, qui non liberi et aequales sunt, deinde demonstrat non civile jus esse, sed jus quoddam, quod potius ex similitudine ita vocatur. Jus enim, quod vere dicitur, inter eos solos est, qui injuste erga se invicem agere possunt: possunt autem illi soli, qui liberi et aequales sunt. Diversa dein utraque ratio exemplis illustratur. Princeps erga subditos juste vel injuste agere potest, quoniam utrique liberi et aequales sunt: inter hos igitur jus politicum intercedit; sed dominus erga servum non potest, quoniam non ab utraque parte adest libertas (2); neque parens erga liberos suos, dum parvi sunt, quoniam desideratur aequalitas. Servi ac liberi quasi partem constituunt ipsius domini ac parentis: nemo autem erga se ipse injustus est (3). Non igitur jus inter eos locum habet, cum absit aequalitas imperandi et parendi, sed simile quoddam, quod ad jus eo propius accedit, quo haec inaequalitas minor sit, v. c. in-

---

(1) Arist. Nicom. V. 10. 66. E. δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι τὸ ζητούμενόν ἐστι καὶ τὸ ἁπλῶς δίκαιον, καὶ τὸ πολιτικὸν δίκαιον· τοῦτο δέ ἐστιν ἐπὶ κοινωνῶν βίου πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν, ἐλευθέρων καὶ ἴσων, ἢ κατ' ἀναλογίαν ἢ κατ' ἀριθμόν. Plerumque, Aristotelis sententias Latino sermone referentes, eleganti usi sumus Mureti versione.

(2) Cf. Polit. I. 7. 302. E.

(3) Cf. Magn. Mor. I. 34. 166. C. D.

ter conjuges, inter quos viget jus oeconomicum, quod ipsum tamen propter dictam causam a jure politico diversum est (1).

His de speciebus juri similibus interjectis, ad jus civile revertitur philosophus, idque docet duplex esse, φυσικὸν (*naturale*) et νομικὸν (quod *legitimum* vertere nolim, ne confundatur cum *νομίμῳ*, quod, cum idem sit atque δίκαιον, ambas juris species complectitur), et utrumque definit dein verbis modo citatis (2). Quum autem naturale sit, quod immobile est et quocumque loco eandem vim habet, ut ignis urit et hic et apud Persas, nonnullos dubitare ait, utrum naturâ jus existat revera, si quidem quotidie jura mutari videant. At apud homines multa sunt, quae, quamvis mutabilia, debentur nihilominus naturae instituto: velut v. c. naturâ dextra manus fortior est, etsi evenire potest, ut aliqui sinistra perinde ac dextra utantur, ita, quamvis non apud cunctos populos idem reipublicae status obtineat, est tamen unus duntaxat omnibus in locis natura optimus (3).

Haec praecipua sunt, quae Aristoteli inventae Juris Naturalis disciplinae laudem conciliarunt.

---

(1) Arist. Nicom. V. 10. 67. A.—C.

(2) Aliter haec proponuntur Magn. Mor. I. 34. 167. B. Itaque vel hic locus e Nicom. corrigendus est, quod difficile videtur; vel novo argumento eorum confirmat sententiam, qui hoc opus Aristoteli abjudicant.

(3) Nicom. V. 10. 67. D. — 68. A.

Quae si ad amussim exigantur, apparebit, non primo a philosopho hanc quaestionem fuisse agitatam, sed quum aequalium suorum disputationibus tritissima esset neque levem adeo nacta auctoritatem, tantum non penitus praetermissam. Neque, quod exspectasses, tanquam primariam, in explicanda justitiae indole, disputationi suae praefecit, sed gravissima absoluta disquisitionis parte, quaestionis alicujus motae opportunitate, eam leviter commemoravit. Quum enim differentiam inter injuriam et injustum, interque juste factum et justum dilucidare aggrederetur, primum submonuit se de civili jure solo agere, non de speciebus juri similibus, qua re exposita docet in hac quaestione, modo jus civile intelligatur, perinde esse utrum *φυσικὰ* jura adtendantur, an *νομικά* (1); quae tamen distinctio, quod quasi *ἐν παρέργῳ* docetur (2), per se videtur admittenda. Quod autem ad ipsum placitum attinet, esse justitiam, quae *non humano arbitrio*, sed, primum *Deorum voluntati* deinde *naturae* dicebant, debeatur, et olim senserant et praedicaverant multi. Recenti etiam memoria ab omnibus fere philosophis magno ingeniorum aestu haec quaestio agitata erat, et ne suspectam Diogenis Laërtii traditionem (3)

(1) Cf. Arist. d. l. 68. A. *ἄδικον μὲν γάρ ἐστι κ. τ. λ.*
(2) In Rhetoricis, ut infra videbimus, de industria hanc quaestionem adtigit.
(3) Diog. Laërt. II. 16. V. supra p. 69. sqq.

de Archelao recoquamus, Sophistarum principale fuerat universae disputationis caput, essetne φύσει an solo νόμῳ justitia? In ipsa sententia igitur, quod lectoribus nostris non opus erit adstruere multis, nihil insueti deprehenditur. Sed novam fortasse condidit rationem, qua quae natura justa sunt ab iis dignoscantur, quae soli debentur civitatis summae? Nihil minus. Ea φυσικά sunt, quae immobilia ubivis locorum eandem vim habent. Erat id plane populare argumentum, quo non solus ante nostrum Socrates usus erat pro ἀγράφοις νόμοις (1), sed quod ipse Aristoteles alio loco exemplis probat a poetis usurpatum fuisse, ut sublimiorem justitiae naturam evincerent (2). Idne fortasse invenit Aristoteles argumentum contra justitiae naturalis detrectatores, esse naturalia posse, quamvis non ubique observentur: quippe naturalia non esse naturâ necessaria, sed optima juxta naturam? Ne hoc quidem concedere possum. Omnes olim, quibus persuasum erat de legibus quibusdam natura praescriptis, has tamen quotidie violari videbant: ita ut ipsi φυσικῶν νόμων appellationi non alium sensum tribuere possent.

Alia praeter ea, quae recensuimus, non reperiuntur: quapropter non idoneam causam esse putamus, cur tantum hac in re philosopho tribuatur. Et revera, quod saepius jam significavi-

(1) Xenoph. Mem. IV. 4. 19. sqq.
(2) Arist. Rhet. I. 13. 541. A. B.

mus, nihil magis incommodum videtur, quam Juris Naturalis initia e veteribus repetere philosophis. Si enim nostra recentiorum hominum juris disciplina cogitetur; ab ea notum est quam aliena fuit omnis antiquitas. Si universe augustiorem juris originem excelsioremque indolem spectes, fuerunt ipsi philosophi, qui has tuerentur quidem, sed vagam tamen neque satis circumscriptam notionem actioribus definire limitibus et cum republica conjungere aut doctrina morali conarentur. Socrates, immo propterea quod Sophistae ipsorum justi notionem fortiorumque imperium ipsa natura probari contenderent, constituti juris finibus universum fere justitiae campum inclusit. Plato perfectam justi speciem non explicuit multum; sed justitiam in homine et civitate eam duxit, qua diversae partes optime instituerentur ad propositum finem. Aristoteles denique, magistri ratione relicta, Socraticam instauravit atque amplificavit, eam justitiam esse pronuncians, quam leges complectuntur a legum ferendarum scientia profectae. Et hic igitur latiorem juris notionem non parum limitavit: Jure Civili et *φυσικὰ* et *νομικὰ* jura comprehendit, ita ut nullum jus extra civitatem concederetur. Ceterum, ut vidimus, erat ratio semper, quae leges dictitaret, cum eas, quae omnibus civitatibus conveniant, tum eas, quae e peculiari ratione ducantur. Exempla, quae *νομικοῦ δικαίου* philosophus citat, probant *τοῦ φυσικοῦ* notione omnem fere *ἁπλῶς δικαιοσύνην* seu *πολιτικὸν*

δίκαιον fuisse conceptum (1). Etenim νομικὰ sunt v. c. capram Jovi immolare non oves, Brasidae sacra facere, similia (2).

Quaestionem de libertate, quam superius exposuerat philosophus, denuo movet hoc loco, quo nempe magnam quandam et plane singularem habet gravitatem. Jam enim non sola improbandi verum etiam puniendi ratio inde ducenda est. Potest aliquid esse injustum (ἄδικον), objectivo scil. sensu sumptum, quo committendo tamen nequaquam quis injuriam (ἀδίκημα) facit, quae quippe non existimatur, nisi *sponte* fiat. Sponte autem fieri intelligitur, quod quis eorum, quae in sua potestate sita sunt, agit, sciens, neque ignorans, neque quem, neque quo quasi instrumento, neque cujus rei caussa. Eorum autem, quae sponte fiunt, partim capto prius consilio facimus, partim non capto: ac capto quidem consilio ea, de quibus prius deliberavimus, non capto autem, cum nulla deliberatio antecessit. Trium igitur generum damnis, quae in societatibus inferuntur, ita expositis, eorum deinde definit indolem nominaque distinguit, eum hominem non solum injuste agere, sed etiam injustum esse concludens, qui capto prius consilio alium laedit, justum, qui capto con-

(1) Cf. Arist. Nicom. V. 5. 63. B. σχεδὸν γὰρ τὰ πολλὰ τῶν νομίμων τὰ ἀπὸ τῆς ὅλης ἀρετῆς προςταττόμενά ἐστι. In margine Ed. Duvall. legendum suadetur πραττόμενά ἐστι, quae lectio, propter sequentia, videtur adoptanda.
(2) Nicom. V. 10. 67. D.

silio id quod justum est, facit. Omnis injuria, cum sponte fiat, coërcenda est. Eorum vero, quae invite fiunt, quaedam venia digna sunt, quaedam non sunt. Nam quaecunque non *inscientes* tantum, sed etiam *per inscientiam* peccant homines, ignoscenda sunt: quae autem non per inscientiam, sed inscientes quidem, per aliquam tamen affectionem animi neque naturalem neque humanam, ignoscenda non sunt (1). — Contrahentes disputationem, hoc loco ipsis Aristotelis verbis plerumque usi sumus, quibus ejus mentem declararemus.

Post quaestiones aliquot minoris ponderis, quarumque solutio facile ex superioribus peti potest, graviorem philosophus aggreditur, quam tam acute ac sollerter diremit, ut, quantum hac in re praestiterit, non satis videatur perpendi solere. Est ea de *aequitate* et *aequo bono* (*περὶ ἐπιεικείας καὶ τοῦ ἐπιεικοῦς*), eratque tunc temporis eo spinosior, quod antiquitus a philosophis ex eodem principio, ex quo reliqua virtus, omnis justitia derivabatur. Difficultatem istam hac ratione ipse proponit Aristoteles: *ὁτὲ δὲ, τῷ λόγῳ ἀκολουθοῦσι φαίνεται ἄτοπον, εἰ τὸ ἐπιεικὲς παρὰ τὸ δίκαιόν τι ὂν, ἐπαινετόν ἐστιν. ἢ γὰρ τὸ δίκαιον οὐ σπουδαῖον, ἢ τὸ ἐπιεικὲς οὐ σπουδαῖον, εἰ ἄλλο· ἢ εἰ ἄμφω σπουδαῖα, ταὐτόν ἐστιν* (2). Deinde docet nulla cujusvis culpa ac-

(1) Arist. Nicom. V. 10. 66. D. E. 68. A. — 69. C.
(2) Nicom. V. 14. 71. E. 72. A. Vulgo legebatur *ἢ γὰρ τὸ δι-*

cidere, quod duae illae notiones sibi invicem obloqui videantur, sed ipsi rei naturae inesse causam. Lex enim, quod neque ipsi neque legislatori est imputandum, semper generaliter (*καθόλου*) decernit: non enim fieri potest, ut quemcunque casum peculiarem definiat. Post leges autem, optimas etiam, constitutas, evenire aliquid potest *παρὰ τοῦ καθόλου* i. e. quod minus recte generali legi subjicitur: *τότε ὀρθῶς ἔχει, ᾗ παραλείπει ὁ νόμος, καὶ ἥμαρτεν ἁπλῶς εἰπὼν, ἐπανορθοῦν τὸ ἐλλειφθὲν, ὃ κἂν ὁ νομοθέτης οὕτως ἂν εἴποι ἐκεῖ παρών· καὶ εἰ ᾔδει, ἐνομοθέτησεν ἄν.* Aequum igitur *δίκαιον μέν ἐστι καὶ βέλτιόν τινος δικαίου· οὐ τοῦ ἁπλῶς δὲ, ἀλλὰ τοῦ διὰ τὸ ἁπλῶς ἁμαρτήματος. καὶ ἔστιν αὕτη ἡ φύσις ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς, ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου* (1). Non reperi, qui ante nostrum philosophum hanc gravissimi sane momenti quaestionem tetigerint, neque post eum, qui opportuniorem exhibuerint explicandi rationem.

Universae disputationi de justo finem imposuit philosophus commemoranda ac disceptanda quaestione, quae, quamvis per se inanis atque exilis, eo tempore vehementissimis altercationibus prae-

δίκαιον οὐ σπουδαῖον ἢ τὸ ἐπιεικὲς οὐ δίκαιον, nullo sensu. Neque Lambini correctio, legentis *ἢ τὸ ἐπιεικὲς οὐκ εἴη δικαίου ἄλλο· ἢ εἰ κ. τ. λ.*, Aristotelis argumentationem restituisse videtur. Opportunum sensum verba praebere arbitror, si, sicut facimus, pro *δίκαιον* reponatur *σπουδαῖον*. Neque aliter, quamvis nihil adnotaverit, videtur legisse Muretus. Cf. ejus vers.

(1) Arist. Nicom. V. 14. 72. B. C. Cf. Rhetor. I. 13. 542. A.—D.

buerat ansam: utrum praestat scil. facere, an accipere injuriam. Cum Socrate, qui de hac re adversus Sophistas dimicare solebat, statuit per se quidem accipere injuriam levius malum esse, sed addidit tamen fieri posse, ut ex consecutione gravius eveniat. Ipsam hanc sententiam non proprio exemplo illustravit Aristoteles: credo, quod metuebat, ne quam tamquam exceptionem proponeret, ea videretur admodum communis esse rei species; sed aliunde sumsit exemplum. Ars, inquit, docet lateris dolorem majorem morbum esse pedis offensione: tametsi contra interdum accidere possit ex consecutione: ut si cui offenso pede evenerit, ut propterea quod ceciderit, capiatur ab hostibus et occidatur (1).

In quinto recensendo Ethicorum libro, quo maxime Aristotelis disciplina de justo continetur, in multa incidimus, non solum pro temporis, quo vixit, ratione egregia, sed per se adeo praeclara, ut sublime philosophi ingenium satis admirari non possis. Vidimus etiam illum obiter adtigisse vulgarem distributionem juris in naturale et legibus praescriptum, quam tamen eo loco non opus erat explanare enucleatius, quum in officiis justitiae proponendis sive ad *νόμιμον* sive ad *ἴσον* attendas, semper illae leges hominibus statutae intelligantur, quae a scientia legum ferendarum origi-

(1) Arist. Nicom. V. 15. 73. B. C.

nem ducunt et cum suprema ratione conveniunt. Jus civile, de quo universa quaestio erat, non excludebat quidem ea jura, quae propter peculiarem civitatis rationem introducenda sint, sed simul ea quoque omnia complectebatur, quae naturae lege praecipiantur. In Rhetoricis vero libris, in quibus primo loco attinebat, ea *de quibus instituatur deliberatio et agatur in iis orationibus*, *quae ad ostentationem comparantur*, *eaque quae in judiciis versari soleant*, non *accurate* quidem, sed *perspicuo* tamen definire (1), hoc argumentum iterum aggreditur Aristoteles; et quum de virtutibus disserens docuerat justitiam esse *ἀρετὴν, δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος*, injustitiam vero, *δι' ἣν τὰ ἀλλότρια, οὐχ ὡς ὁ νόμος* (2), et alio loco injuriam facere, *τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον* (3), jam ipsam legis naturam declaraturus, statim in fronte docet, eam esse duplicem, *propriam* et *communem*, *ἴδιον μὲν (νόμον), καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται· κοινὸν δὲ, ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ* (4). Paullo post hanc definitionem in memoriam revocans, aliam tamen et maxime diversam ejus loco substituit, *ἴδιον μὲν νόμον* dicit *τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς αὑτούς· καὶ τοῦτον, τὸν μὲν, ἄγραφον, τὸν δὲ, γεγραμμένον· κοινὸν δὲ τὸν κατὰ φύσιν* (5).

(1) Arist. Rhetor. I. 3. 520. B. C. 4. 520. E. 10. 535. D.
(2) Rhet. I. 9. 531. A.
(3) Rhet. I. 10. 533. E.
(4) Rhet. l. c.
(5) Rhet. I. 13. 540. E. 541. A.

Non multum igitur his in definitionibus sibi constat Aristoteles, ut universe parum in Rhetoricorum libris, in quibus non quid verum sit, quaeritur, sed quibus facillime argumentis alios quis ad suam sententiam permoveat (1). Neque a nobis haec excitata fuissent, praesertim cum non magis, quam ea, quae in Nicomacheis reperiuntur, Aristoteli Juris Naturalis inventi laudem conciliare mereantur (non enim de re nova loquitur, sed ut ipse testatur, de jure ὅ μαντεύονταί τι πάντες, neque novis argumentis illustrat, sed vulgare, ex omnium consensione petitum, poëtarum dictis commendat), nisi tum voluissemus indicare mentionum τοῦ κοινοῦ νόμου, qui eandem apud Graecos significationem recepit, qua Latini *jus gentium* dictitarunt, tum in posterioris loci τῶν δικαίων ἀγράφων explicatione gravissimam sententiam deprendissemus, quae, etsi paucis tantum ab Aristotele adumbrata, singularum meretur considerationem. Graeca demus, ne quod et Muretus (2) et alius interpres (3) hoc loco fecisse videntur, ver-

(1) Arist. Rhet. I. 2. 515. B. ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. Cf. 4. 520. E.

(2) Muretus Opp. ed. Rhunk. T. III. p. 667. priora illa, quae maxime attendenda sunt, sic interpretatur. »Nam alia quidem sunt, quae cum eximia quadam, aut virtute, aut improbitate conjuncta sunt: quibus laudes, honores'' cet.

(3) Ant. Riccobonus, cujus versio in Ed. Duvall. recepta est,

borum vim frangamus vertendo. Τῶν δὲ ἀγράφων, inquit, δύο ἐστὶν εἴδη· ταῦτα δ' ἐστὶ, τὰ μὲν καθ' ὑπερβολὴν ἀρετῆς καὶ κακίας, ἐφ' οἷς ὀνείδη καὶ ἔπαινοι, ἀτιμίαι καὶ τιμαὶ, καὶ δωρεαί· οἶτε τὸ χάριν ἔχειν τῷ ποιήσαντι εὖ καὶ ἀντευποιεῖν τὸν εὖ ποιήσαντα, καὶ βοηθικὸν εἶναι τοῖς φίλοις, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· τὰ δὲ τοῦ ἰδίου νόμου καὶ γεγραμμένου ἔλλειμμα (1). Posteriora haec, quibus τὸ ἐπιεικὲς significatur, sunt omittenda hoc loco, quippe explicita superius. Sed priora illa sunt admodum memorabilia. Officia ea, de quibus propterea lex non praecipit, quod καθ' ὑπερβολὴν ἀρετῆς καὶ κακίας existunt, quae alia sunt, quam officia *imperfecta*, quae non diu post philosophiae moralis locum constituerunt haud sane contemnendum? Neque eorum memini ante Aristotelem neque tam luculentur neque eo titulo exhibitam esse notionem. Cujus tam insignis sententiae non injuria miretur aliquis nullum in Ethicis scriptis reperiri vestigium. Profecto enim, quum de omni virtute leges statuere docebat, Aristoteles non eorum officiorum oblitus esse poterat, quae alioquin ipse opinabatur, quasi supra legum imperium esse, col-

est, verba καθ' ὑπερβολὴν ἀρετ. κ. κακ. interpretatur » secundum exsuperantiam virtutis et vitii", quae versio optime sententiae conveniret, si ὑπερβολὴ ἀρετῆς eo sensu intelligenda esset, quo nonnunquam in Aristot. scriptis obviam fit, v. c. Polit. III. 13. 354. C. (cf. Cic. Tusc. V. 36.), sed nostro loco plane singularem habet significationem, quam neque iste interpres neque Muretus assecuti videntur.

(1) Arist. Rhet. I. 13. 542. A.

locata. Sed de industria, ni fallor, ac prudentissime omisit hunc locum. Quando quidem enim in medietate omnem virtutem sitam esse contenderet ac maximopere vitandas praeciperet tam *ὑπερβολὴν* quam *ἔλλειψιν* (1), quo modò officia collaudare potuisset, quae ipsa *καθ᾽ ὑπερβολὴν ἀρετῆς* excolenda sint? Suppressit mentem potius, quam quod sibi obloqueretur.

Vidimus aliquoties, ab Aristotele omnem ferme justitiam ad civitatem referri. Neque mirum profecto, si reputamus, eam ipsi visam esse hominum naturam, ut necessario vitae socialis ratione conjungerentur. Est vero distinguendum, ut in disciplina Platonis, iterum societatis inter et civitatis originem. Primariam initae societatis causam, quisquis a principio rerum initia inspexerit (2), in imperio intelliget esse sitam. Aristoteles autem, sicut neque in rebus moralibus Deorum erat nomine abusus, quo priores philosophi velarant magis quam explicuerant mentem, ita neque hoc loco ad primarium Deorum regnum recurrit. At, necesse quidem est, inquit, primum eos copulari, quorum alter sine altero esse non potest, quales mas et foemina, procreationis causa: neque hoc

---

(1) Cf. Arist. Nicom. II. 5. al.

(2) Polit. I. 2. 297. A. *Εἰ δή τις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα φυόμενα βλέψειεν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις καὶ ἐν τούτοις, κάλλιστ᾽ ἂν οὕτω θεωρήσειεν.* Cf. Garvii Ann. ad Polit. a se exhibitam Germ. vers. T. II. p. 63. sqq.

ex consilio proficiscitur, sed, quem ad modum in reliquis animantibus et stirpibus, *naturale* studium est sibi simile aliquid relinquendi (1). Copulatur vero, sic philosophus pergit, natura etiam quod imperat et quod paret, propter salutem: quod enim mente providere potest, natura imperat ac dominatur; quod corpore jussa perficere potest, natura paret ac servit: et domino igitur et servo idem expedit (2). — Ex duabus igitur illis rationibus naturalibus, quarum altera marem inter et foeminam, altera dominum inter et servum intercedit, prima domus oritur (3); ex pluribus domibus, cum singulae sibi non sufficiunt ad vitam, vicus; ex pluribus vicis denique *πόλις*, *ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας* (4), adeoque *perfecta societas* (*κοινωνία τέλειος*) existimanda (5). Haec principio, ut domus et vicus, quae ab eo,

---

(1) Arist. Polit. l. c. *ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι· οἷτε θῆλυ καὶ ἄῤῥεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷτε αὐτὸ, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον.*

(2) Polit. I. 2. 297. B. *ἄρχον δὲ φύσει καὶ ἀρχόμενον, διὰ τὴν σωτηρίαν· τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει· τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον· διὸ δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταὐτὸ συμφέρει.*

(3) Polit. I. 2. 297. C. *ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο κοινωνιῶν, οἰκία πρώτη· ..... ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν, οἶκός ἐστιν.*

(4) Cf. Polit. II. 2. 314. A.

(5) Polit. I. 2. 297. D. E.

qui aetate antecedebat, regebantur, ubivis regno subjecta erat (1).

Haec est quasi historica rei indagatio. Altera, quam philosophicam dicere possis, partim illa nititur, partim ulteriori naturae humanae pervestigatione. *Civitas* (quo potius quam *urbis* nomine πόλιν interpretemur, ne Graeca aliquando evanescat rei notio) plane naturalis est: conflata quippe ex iis societatibus, quae ipsae naturae instituto debentur. Hae autem in civitatis amplitudinem conjunctae sunt propter indigentiam (2). Itaque prima societas exstitit ob procreandi appetitum, secunda, quae cum illa coaluit in domum, ob imperii necessitatem: prima vero civitas ab indigentia originem trahit. Haec causa est, ob quam *voluerunt* homines civitate conjungi; causa, ob quam *potuerunt*, in praestantia humani ingenii sita est. Solum enim ex animantibus homo est, cui non tantum vocem, sed etiam sermonem, non tantum grati ac molesti, verum etiam boni ac mali, justi atque injusti sensum natura tribuit. Etenim voce etiam reliqua gaudent, qua quod gratum quodque molestum accidat, significare possunt: at sentire ac sermone declarare, quae prosint quaeque noceant, justum atque injustum,

(1) Arist. Polit. I. II. 297. D. διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου· ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν.

(2) Polit. l. c.

soli homini contingit (1). Duplex igitur ratio est, cur homo eximie πολιτικὸν ζῶον existat, altera facultatis, necessitatis altera: ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηθὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐθὲν μέρος πόλεως· ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός (2).

Nihil natura frustra facit. Est hominum igitur officium se tamquam maxime natos considerare ad vitae civilis rationem. Nobis et familiis nostris civitas prior est: totum enim necessario partem praecedit. Namque velut, toto homine sublato, neque pes erit neque manus, nisi quae ex nominis communione dicantur, ita, dempta civitate, neque homo neque domus proprie dici queunt: etenim si per se homo non sufficit sibi, eadem ratione, qua partes illae erga totum, hic erga civitatem tenebitur. Est ea civilis ratio, qua reliquis animalibus praecellit homo: legis vero ac juris expers, est omnium deterrimum (3).

Statim igitur, aeque ac Plato fecerat, civitatis ortae notioni Aristoteles justitiam subjungit. Nempe societas exstare potest ob imperii communitatem: ubi autem propter indigentiam plures homines, vel familiae convenerint, est justitia opus. Quapropter praeclaram illam disputationem, quam summatim exposuimus, ita Aristoteles concludit:

(1) Arist. Polit. I. 2. 298. B. Locus pulcerrimus, sed longior, qui describatur.
(2) Polit. I. 2. 298. D.
(3) Polit. I. 2. 298. A.—D. Ut praeclara Arist. sententia satis ample proponeretur, esset totum hoc caput describendum, quod consulat lector.

ἡ δὲ δικαιοσύνη, πολιτικόν· τὸ γὰρ δίκαιον πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν· ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις (1).

Ceterum neminem fugiet haud levis sane discrepantia Platonis inter et Aristotelis sententiam. Apud hunc, ut alia mittamus, omnis civitas ex societate nata: apud illum seorsim proposita et prima vitae socialis ratio, principio a Deorum imperio repetita, et civitatis origo, a conjunctione ducta quatuor vel quinque hominum, qui imbecillitatis ergo convenerint.

Ipsa igitur natura voluit, homines civitatis vinculo contineri. Utrum vero, quum primum initur civitas, rectius deteriusve composita sit, hoc plane a fortuna pendet: sed cum semel constituta est, ut jam bona vel prava fiat, non diutius situm est in fortunae arbitrio, sed scientia providendum consilioque (2). Oritur enim civitas vivendi causa, constat bene vivendi gratia (3). Aristoteles magistri exemplo insistens, semper civita-

---

(1) Arist. Polit. I. 2. 298. E. Non dubitavi pro vulgato ἡ γὰρ δίκη πολ. κοιν. τ. ε. recipere τὸ γὰρ δίκαιον κ. τ. λ., quae correctio jam proposita est a Tennem. III. 314. et quivis Aristotelica legenti necessario venit in mentem. Cf. Nicom. V. 10. 67. A.

(2) Polit. VII. 13. 441. B. ἀναγκαῖον τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, τὰ μὲν ὑπάρχειν, τὰ δὲ παρασκευάσαι τὸν νομοθέτην· διὸ κατ' εὐχὴν εὐχόμεθα τὴν τῆς πόλεως σύστασιν, ὧν ἡ τύχη κυρία· κυρίαν γὰρ αὐτὴν ὑπάρχειν τίθεμεν· τὸ δὲ σπουδαίαν εἶναι τὴν πόλιν, οὐκέτι τύχης ἔργον ἀλλ' ἐπιστήμης καὶ προαιρέσεως.

(3) Polit. I. 2. 297. E. γινομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν. Cf. Polit. III. 9. 348. B. 349. A. B.

tem proponit tanquam majorem hominem: ut cuique homini finis est beatitudo, ad eandem necesse est civitas tendat (1): quum autem homini nulla beatitudo absque virtute consistat, ad eandem civitati comparandam Aristoteles adsidue monet omnem legislatori esse operam impendendam (2).

Postquam civitatis initia perscrutatus erat, de justo ejus moderamine disputationem instituit, et primo loco cum philosophorum, tum legislatorum consilia persequitur, multa ubicumque observans, quae neque nostro tempore supervacanea existimari merentur. Quando ad proprias suas opiniones accedit, sibi placet saepissime in commemorando medietatis principio et ostentando, etiam cum quaestione de republica quam proxime illud conjunctum sit (3). Quod neminem pepigisset, credo, si fuisset hoc loco omnino praetermissum. Est enim non magni usus; neque ipse quidem Aristoteles in quaestionibus gravioribus illi judicium suum submittit.

Est aliud principium, quod majores tulit philosopho fructus, quoque, ut vidimus, jam usus erat in societatis originibus enarrandis. Statuit scilicet, rursus vestigiis incedens Platonis, qui hoc fundamento et exstruxerat civitatem et hominem ad virtutem instituerat, ipsa naturae lege praecipi, ut quod melius est, imperet, quod inferius, pareat. Ex hoc naturae decreto non solum dispu-

(1) Arist. Polit. VII. 13. 440. C.—E.
(2) Cf. v. c. Polit. VII. 1. 425. E. 426. A.
(3) Cf. v. c. Polit. IV. 11. 375. sq.

tat de justa regiminis forma (1) deque imperio in finitimos populos exercendo (2), sed singulares quasque vitae civilis rationes disponit. Hinc domini in servum, maris in foeminam, parentis in liberos, jura ducuntur, eo majora, quo magis mentis functione quod imperat quodque paret a se invicem distare censeantur (3). Operae pretium esset hoc loco plenius Aristotelis sententiam exponere de servitute, quam olim indubitati juris habitam, cum suo tempore nonnulli, imprimis Sophistae, validissimis argumentis oppugnare sustinuerant, noster data opera ex principio, quod laudavimus modo, defendere instituit. Sed cum ab initio nobis proposuerimus, ut solummodo ad summam quid de justo philosophi statuerint, declararemus, et alioquin argumenti nostri vetuerit amplitudo, quo minus in specie talia prosequeremur, satius videtur hac nobis in re constare et illi disquisitioni inhibere manum.

---

(1) Arist. Polit. III. 10. 349. E. 13. 354. A. C. 355. E., quo Cap. tertio et decimo d. l. auctor notam illam de Ostracismo sententiam declaravit.

(2) Polit. VII. 2. 427. C. E.

(3) Polit. I. 5. Nicom. V. 10. 67. C.

SECTIO DECIMA.

DE EPICURO.



Universae antiquitus philosophiae moralis scopus erat to *εὐδαιμονεῖν*, et e diversis notionibus, quae *vitae beatae* foverunt disciplinarum auctores, diversa maxime explicanda est philosophandi ratio. Atque profecto, isto communiter proposito fine, summopere admirandum est, ex principum philosophorum disciplina tantum virtuti remansisse honoris, tamque parum tributum esse iis, quae vulgari hominum opinione ad vitam suaviter beateque vivendam plurimum conferre existimantur. Quo maxime illi hanc doctrinam probaverant ac defenderant, rationis imperium erat. Ratione sincera felicitas computanda ducebatur, quae solis perciperetur sensibus, esse incertam atque instabilem veroque philosopho indignam. Aristippus primus philosophorum contrarias partes tuitus erat, sed quamvis ipse vir probus esset et commendasset nonnunquam virtutem, apparuerat tamen ex multis ipsius et magis etiam discipulorum placitis, cum disciplina, quae in sensibus judicium veri collocaret, aegre posse virtutem consistere. Non multos adeo neque celebres quidem sectatores nactus erat, et doctrina ista potius Sophistarum petulantiae quam Philosophorum gravitati convenire videbatur, donec eam instauravit Epicu-

rus (1) et tam insigni librorum copia (2), quam magno discipulorum numero (3) per universam Graeciam propagavit. Praeterea multum amplificavit et emendavit hanc rationem voluptate omnia metientem, et, ut reliqua reticeamus, eo reddidit probabiliorem, quod non in grata quacunque sensuum affectione philosophiae finem ponebat sed firmum requirebat et placidum animi statum, a continua voluptatis perceptione et vacuitate doloris profectum (4).

Philosophiam Epicurus definivit *ἐνέργειαν λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν* (5). Ab universa igitur philosophia idem exposcebat, quod plurimi philosophi sibi disciplinae moralis tamquam finem proposuerant. Et revera, secundum ipsius Epicuri sententiam, sola Ethica est, cujus studio eximiam homines navare operam oporteat. Reliquae disciplinae, Dialectica (6), cujus eam tamtummodo Epicurus retinuit partem, quae

---

(1) Epicurus autem, qui, ut notum est, neminis neque institutioni neque disciplinae aliquid se debere profitebatur, nequaquam Aristippi doctrinam amplificare prae se ferebat, sed contra cum reliquis philosophis in Cyrenaicos invehebatur. Cf. Diog. L. X. 8. quo scilicet loco pro *Κυζικηνοὺς* scite Gassendus reposuit *Κυρηναϊκοὺς*. Cf. de Vita et Mor. Epic. L, V. C. 3. in Gassend. Opp. Lugd. 1658. T. V. p. 208.

(2) Diog. L. I. 16. X. 26.

(3) Diog. L. X. 9. Cic. de Fin. I. 7, 20.

(4) Diog. L. X. 128, 131, 136. Cic. Acad. Pr. II. 42.

(5) Sext. Emp. adv. Math. XI. 169.

(6) Sext. Emp. adv. Math. VII. 15. ibique Fabric.

de judicio et regula veri est (1), et Physica (2) eatenus tantum merentur aliquam considerationem, quatenus morum disciplinae inserviant. Haec enim docet et quae appetenda sint quaeque vitanda, et quo modo vita optime instituatur et quis tandem omnis vivendi finis (3).

Perdifficile veram est assequi Epicuri mentem. Sive enim verum sit, quod Cicero (4) refert, eum parum curasse, ut sibi constaret, sive amicorum studio et adversariorum ira effectum sit, ut modo propter egregias sententias in coelum laudibus efferatur, modo philosophi imo homine plane indigna statuisse perhibeatur (5), hoc certissimum est, sub Epicuri nomine diversissima et maxime contraria placita ad nostram pervenisse aetatem. Qua in re videtur laudato Ciceronis testimonio maxima fides habenda. Etenim vel illi auctores, qui ex ipsis Epicuri scriptis hauserunt, retulerunt plurima, quae non optime inter se possunt conciliari. Quin in ipsis Epistolis, quas nobis servavit Diogenes Laërtius, plus semel deprehendas sibi oblocutum Epicurum. Sed illud fere evenit in doctrina omnium, qui, quum omnia sensibus tribuant, velint tamen simul virtutis tueri causam (6).

(1) Cic. N. D. I. 16. Senec. Epist. LXXXIX. Diog. L. X. 30.
(2) Diog. L. X. 143.
(3) Diog. L. X. 30.
(4) Cic. Tusc. V. 9.
(5) Cf. Lactant. Inst. III. 17.
(6) Cic. Fin. II. 18. »Sed ego ex te quaero, nonne intelli-

gas

In Epistola ad Menoecium argumenti moralis, sententiam de voluptate copiose illustrat et ex hujus amore etiam causam explicat, cur probe virtus colatur (1). Haec adeo necessaria est voluptatis procreatrix, ut reliqua omnia possint, nequeat virtus a vita beata divelli (2). Et in Ratis Sententiis (*κυρίαις δόξαις*), quae ita auctoris mentem referre existimabantur, ut ab omnibus Epicureis religiose memoria tenerentur (3), non suaviter vivi posse docet sine sapientia et honestate et justitia, neque sine voluptate has posse consistere (4).

In iisdem decretis de justitiae indole suam declarat opinionem philosophus (5), memorabilem profecto et plane novam. Cyrenaicis placuerat justum esse nonnisi lege ac more (6). Hoc placitum, ut reliqua, correxit Epicurus et docuit,

---

gas eo majorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui omnia ad vestrum commodum, et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non voluptatem vos sed officium sequi? plusque rectam naturam, quam rationem pravam valere?"

(1) Diog. L. X. 138.

(2) L. c. *Ὁ δ' Ἐπίκουρος καὶ ἀχώριστον φησὶ τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετὴν μόνην· τὰ δ' ἄλλα χωρίζεσθαι, οἷον βρωτά.*

(3) Cic. Fin. II. 7.

(4) Diog. L. X. 140. Sent. 5. *Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως· ὅτῳ οὖν μὴ ὑπάρχει τὸ ζῆν φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν.* Torquatus apud Cic. Fin. I. 17.

(5) Sent. 34—42.

(6) Diog. L. II. 93, 99.

ea quidem quae justa sunt pacto vim suam debere, sed nihilominus ipsa natura omnibus animantibus insitum esse utilitatis studium, quod, si modo foedere jungi possint, salutis gratia eos eo perducit ut conveniant, ne laedant invicem neque laedantur. Tale pactum igitur, si utilitatem contrahentium revera contineat, jus naturae putandum est (1). Est ea utilitatis unica nota, qua jus naturale dignoscitur. Hinc: 1°. communi quidem sensu natura jus idem semper omnibus est, id scilicet, quod contrahentibus expediat, sed privato sensu, quum non omnibus eadem conveniant, diversum est pro diversa regione et universa tandem conditione, quibus contrahentes utantur (2); 2°. Non diutius natura jus aestimandum est, quam isti proposito inserviat: simul ac contrahentium commodum aliud requirit, ipsa natura aliud jus conciliat (3); 3°. si quaedam contrahentibus justa fuerint visa adeoque legibus confirmata, postea vero apparuerint ipsorum commodis repugnantia, nunquam justa fuisse existimanda sunt (4).

---

(1) Diog. L. X. 150. Sent. 34. *Τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι.* Sent. 36.

(2) §. 152. Sent. 39. *κατὰ μὲν τὸ κοινὸν, πᾶσι τὸ δίκαιον τὸ αὐτό (συμφέρον γάρ τε ἦν ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους κοινωνίᾳ) κατὰ δὲ τὸ ἴδιον, χώρας καὶ ὅσων δήποτε αἰτιῶν, οὐ πᾶσι συνέπεται τὸ αὐτὸ δίκαιον εἶναι.*

(3) L. c. Sent. 41.

(4) §. 153. Sent. 42. Est utraque haec sententia sedulo conferenda: cuncta exscribere longum est.

Hac sententia de justo longius ab omnibus reliquis philosophis secessit Epicurus, quam unquam a se invicem digressi erant. Qui contenderant esse aliquid naturâ justum, opinionem suam confirmaverant omnium gentium consensione et institutorum quorumdam immutabilitate, quae etsi a pravis hominibus violarentur nonnunquam, tamen ubivis locorum naturae maxime consentanea ducebantur. Qui impugnaverant sublimiorem juris indolem, haec potissimum argumenta adorti erant, ita ut, quid natura justum putandum sit, neutiquam ambigeretur, sed omnis de eo quaestio esset, utrum revera tale existeret. Epicurus vero de ipsa re toto coelo dissentit: nihil, ipso judice, facit, utrum ab omnibus habeatur, an minus (1); quod porro mutari *possit* neque affirmat neque negat, at vero perhibet hanc propriam esse justi indolem, ut necessario pro varia hominum conditione variari *debeat* (2). Taceo Socratis, quibus leges non scriptae probantur, poenas divinas: has extimescere ridiculum arbitrabatur Epicurus et ab eorum ingenio alienum, qui recte de Diis statuere didicerunt (3). Sed Sophistarum etiam placitis, a quibus Aristippus hac in re non valde abhorruerat, penitus illa doctrina adversatur. Neque enim fortiorum juri, quod isti naturae tribuebant, superstructa est: nititur enim pacto ὑπὲρ

(1) Diog. L. l. l. §. 112. Sent. 40.
(2) Sent. 39. cit.
(3) Senec. de Benef. IV. 19.

τοῦ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι, neque justi observantiam potentiori soli at omnibus juris capacibus conducere statuit.

Ex Epicuri igitur sententia ea natura justa sunt, quae constituta in civitate proposito suo civium felicitatis promovendae rite respondent. Obligandi fons in pacto inest (1), verum ipsius pacti ineundi opportunitas ex naturae lege repetenda est. Argutissima haec et vere praeclara sententia, cui in argumento nostro nescio quod veterum philosophorum placitum anteponerem, non eo solo se commendat, quod, quam ob causam jus institutum perhibeat (2), ob eandem doceat perpetuo

(1) Hinc Epicurus docuit (Diog. L. l. l. Sent. 35.) ὅσα τῶν ζώων μὴ ἠδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἄλληλα, μηδὲ βλάπτεσθαι· πρὸς ταῦτα οὐθὲν ἐστιν οὐδὲ δίκαιον, οὐδὲ ἄδικον· ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν ὅσα μὴ ἠδύνατο, ἢ μὴ ἐβούλετο τὰς συνθήκας ποιεῖσθαι, τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι. Priora illa ὅσα τῶν ζώων praebuerunt ansam quaestioni, an igitur essent animalia quaedam, quibus juris capacitatem tribuerit Epicurus? Cf. Gassendi Ann. ad h. l. Opp. T. V. p. 157. Sed haec eo explicanda videntur, quod e generali principio, ex disciplinae suae ratione petito, mutua gentium jura definire voluerit. Omnibus animantibus innatum est studium voluptatis (Diog. L. l. l. §. 137. Cic. Fin. II. 10.), sed non omnia possunt pactis convenire ut neque laedant neque laedantur: erga haec vero, qui non possunt, nullo jure tenemur, quia alioquin eorum voluptati morem gereremus, etsi ista nostram forte offendant. Qua autem ratione erga ζῶα, eâdem, si conjuncti tamquam ἔθνος consideramur, erga reliqua ἔθνεα tenemur.

(2) Porphyrius de Abstin. L. I. §. 7—12 nobis servavit pulcerrimum fragmentum Hermachi Epicurei, in quo de socie-

conservandum, sed mutua omnium contrahentium utilitatis ratione, tamquam simplici ac constante probandi ac judicandi nota proposita, proxime ad verum accedere videtur. Est etiam fortasse universae disciplinae Epicureae praestantissima pars et ipsâ quasi disciplinâ praestantior. Non solet enim Epicurea ratio ad communem omnium utilitatem efferri, sed singulos semper homines eorumque commoda spectat. Hinc etiam pulcre inceptam illam justi definitionem non viriliter admodum Epicurus tuetur. Si docuissit propterea justitiam colendam esse, quoniam communis omnium voluptas singulorum illud studium poscit, doctrina ista a sensuum testimonio pendens multas profecto rationales superavisset. At turpiter mox in solitum privatae voluptatis momentum delabitur docetque injuriam non per se esse malum, sed propter illius, qui commiserit metum, quod latere nequeat injustitiae constitutos vindices (1).

cietatis initiis ita fere exponit: Sapientiores homines, quae sibi ad utilitatem conferre videbantur, statim inter se constituere aggressi sunt et eos qui rationis viribus inferiores essent, ad observanda illa, poenarum metu constrinxerunt. Continuo autem viderunt, reliquorum quidem animantium caedem ad vitae suae tranquillitatem esse necessariam, hominum vero caedem nullius esse utilitatis. Religionem igitur invocarunt et poenas sanciverunt, quibus homines eo perducerentur, ut *ἀπεχόμενοι τοῦ συγγενοῦς, διαφυλαττῶσι τὴν κοινωνίαν, ἣ συνήργει πρὸς τὴν ἴδιαν ἑκάστου σωτηρίαν*. §. 10. Cf. de hoc fragm. Philos. Epicur. per Gassend. 1649. p. 1543.

(1) Diog. L. §. 151, Sent. 37. *Ἡ ἀδικία οὐ καθ' ἑαυτὴν κα-*

Haec una ex iis sententiis est, quae Epicurum reddiderunt maxime odiosum: scilicet eum fere odisse solent, ut Cicero refert (1), qui ab eo dissentiunt. Si ob solum poenae metum, adversarii praesertim Stoici inquiunt (2), injustitia vitanda est, nihil est quod nos impediat, quo minus injuste agamus, si poena liberos nos evasuros esse constet. Sed ipse Epicurus remedium adposuit, quo etsi non sustulit, sollerter tamen dissimulavit malum. Non fieri potest, inquit, ut qui clam violaverit pactum, quo convenerunt inter se homines ne laedant neve laedantur, confidat latere se posse, etsi millies etiam praesenti tempore lateat: ad finem enim vitae usque incertum est, an latere possit (3). Hoc argumentum,

---

κακὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιαύτων ἐφεστηκότας κολαστάς. Cf. Plutarch. Non posse suaviter vivi secund. Epicur. 1104. B. *Οὐ γὰρ Ἐπίκουρος ἄλλῳ τινι τῆς ἀδικίας οἴεται δεῖν ἀπείργειν ἢ φόβῳ κολάσεων.*

(1) Cic. Fin. I. 5.

(2) Cf. v. c. Arrian. Diss. Epict. III. 7. 12. *Τὸ γὰρ κλέψαι οὐδὲ αὐτὸ ὁ Ἐπίκουρος ἀποφαίνει κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἐμπὲσεῖν.* Stoici scilicet, solo Seneca excepto (de Vita Beata 13.), maximo odio Epicurum habuerunt. Cf. Gassendi de Vita et Mor. Epic. III. 2. Opp. V. 193. sqq. Verum tamen ista Epicuri sententia, quam modo notavimus, etiam ab aliis vehementer agitata est. Cff. Cic. Fin. II. 17. sqq.

(3) Diog. L. l. l. Sent. 38. *Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ. μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει.* Lucret. V. vs. 1155. sqq.

quod non exiguam in hominum vitam vim exerceat et merito igitur a posterioribus philosophis comprobatur (1), multum tamen abest quin cum superiori praeclara illa justi notione possit aliquo modo comparari.

Juris constituti observantiam, quamvis abjectis sane rationibus, commendabat tamen Epicurus, sapientem opinabatur pium legibus cultum praestiturum (2), propriae videlicet voluptatis gratia (3); quin ne legibus quidem esset sapientibus opus, nisi quatenus ab iis injuriam arceant; iis praecipere ne aliis injurientur plane superfluum existimabat (4). Praeterea et ipse vixit justissime (5) et multos discipulos et asseclas habuit, cum Grae-

---

Non facile 'st placidam ac pacatam degere vitam
Qui violat factis communia foedera pacis.
Etsi fallit enim Divum genus, humanumque
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.

Cf. III. vs. 1026. sqq.

(1) Sen. Epist. XCVII. Contendit tamen Plutarch. Non posse suav. vivi secund. Epic. 1090. D. sqq. hanc ipsam sententiam pugnare contra disciplinam Epicureorum.

(2) Cf. Diog. L. X. 118. sq.

(3) Diog. L. ib. Sent. 17. Ὁ δίκαιος, ἀταρακτότατος· ὁ δὲ ἄδικος πλείστης ταραχῆς γέμων.

(4) Stob. Serm. IV. Assimilem Aristippi sententiam excitavimus supra p. 173. sq. Epicurea videtur eadem ratione explicanda. Cf. Hermachus Epicur. apud Porphyr. l. l. §. 8. εἰ δὲ πάντες ἐδύναντο βλέπειν ὁμοίως καὶ μνημονεύειν τὸ συμφέρον, οὐδὲν ἂν προςεδέοντο νόμων· ἀλλ' αὐθαιρέτως τὰ μὲν εὐλαβοῦντο τῶν ἀπειρημένων, τὰ δὲ ἔπραττον τῶν προςτεταγμένων. ἱκανὴ γὰρ ἡ τοῦ χρησίμου καὶ βλαβεροῦ θεωρία, τῶν μὲν φυγὴν παρασκευάσαι, τῶν δὲ αἵρεσιν. κ. τ. λ.

(5) Cf. Diog. L. X. 10.

cos, tum Romanos (1), justitiae laude ornatissimos (2). Et tamen tam periculosa habita est ea disciplina, quae voluptate omnia metiatur, ut optimi semper viri eam cum a republica tum a philosophia repulsare assidue anniterentur: quantumvis enim probi viri Epicurei viderentur, nulla ducebantur ab iis non extimescenda. Cicero Trebatium, in Epicureorum castra transgressum, his verbis alloquitur (3), quae et si fortasse minus serio ad illum virum scripta sunt, probant tamen communem de Epicureis suspicionem: »Sed quonam modo Jus Civile defendes, quum omnia tua causa facias, non civium? Ubi porro illa erit formula fiduciae INTER BONOS BENE AGIER? Quis enim est *bonus*, qui facit nihil nisi sua causa? Quod jus statues COMMUNI DIVIDUNDO, quum commune nihil possit esse inter eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit JOVEM LAPIDEM jurare, quum scias, Jovem iratum esse nemini posse? Quid porro fiet populo Ulubrano, si statueris πολιτεύεσθαι non oportere?"

Hic Epicureorum metus adeo crevit, ut multi populi, v. c. Romani, Messenii, alii publica auctoritate eos civitate expellerent (4).

(1) V. Gassend. l. l. II. 6. Opp. T. V. 187. sqq.
(2) Cf. Cic. Tusc. III. c. 21.
(3) Cic. Epist. ad Fam. VII. 12. Cf. Arrian. Diss. III. 7. 19. sqq.
(4) Athen. XII. p. 547. Aelian. IX. 12. Sext. Emp. adv. Math. II. 25. et Fabric. ad. h. l.

SECTIO UNDECIMA.

DE STOICIS.

Zeno Cittieus, vir acuti ingenii et eximiae probitatis, adversus novum voluptatis patronum severam Cynicorum rationem instauravit, eam utique iis fere liberans, quae propter impudentiae culpam in se contraxerat (1), et praeterea multis illustrans, quae ex Academicorum et Peripateticorum disputationibus philosophia profecerat. Haec non pauca erant profecto, et quamvis postea Antiochus fortasse ulterius, quam par erat, progressus sit statuendo a Zenone non nisi nova nomina antiquis rebus esse imposita (2), praecipuorum certe disciplinae Stoicae placitorum non difficile foret in antiquiori philosophia reperire fontem. Verum non haec solummodo res magni operis est, ut sua tantum Stoicis concedantur, sed, quum nulla unquam philosophorum schola tam dives fuerit magnorum ingeniorum, quae, etsi eundem doctrinae campum excolerent, illum suis tamen quaeque fructibus ornaverunt, non minoris molíminis illud est, ut tum communes Stoicorum sententiae rite exponantur, tum singulis propriae

(1) Diog. Laërt. VII. 3. αἰδήμων ὡς πρὸς τὴν Κυνικὴν ἀναισχυντίαν.

(2) Cic. Epist. ad Fam. IX. 22. Cf. Fin. III. 2, 12, 13. V. 8, 25. N. D. I. 7. Legg. I. 20.

vindicentur laudes. Diversam viri docti viam inierunt, ut his difficultatibus occurreretur (1); quibus alia accedit gravissima, quod scil. omnia antiquiorum Stoicorum scripta perierunt, ita ut multa haurienda sint ex compilatoribus, quorum in colligendo magis diligentia quam acumen cernitur in disponendo, et ex posterioribus Stoicis, qui communem potius Stoae rationem, quam diversas singulorum sententias prodiderunt: et quamvis laetari oporteat superesse nobis Ciceronis, Plutarchi, Sexti Empirici testimonia, quae maxime hoc argumentum illustrant, non tamen diffitendum est eos potissimum disputandi sive laudandi sive saepius detrectandi gratia Stoicorum sententias commemorasse, ita ut hac etiam ex parte praestaret genuinis ipsorum monumentis uti. Verum his tamen difficultatibus non licet solum sed decet nos subtrahere aliquo modo. Quum enim universum Stoicorum systema ad uberiorem ac saniorem justi notitiam nihil aut parum contulerit, quidquid, si quid tandem hac in re praestiterint, id singulorum meritis sit accensendum, officio nos satisfacturos esse putamus, si, communi disciplinae moralis principio breviter proposito, singulorum qualiacunque inventa perscrutemur.

(1) Tiedemannus (Syst. der Stoische Philos.) variorum Stoicorum sententias ad unum systema referre, Tennemannus (Gesch. der Philos. T. IV.) singulis suum cuique tribuere, Stäudlinus tandem (Gesch. der Moralphilos. p. 246. sqq.) utrique officio satisfacere conatur.

Cynici jam docuerant naturae legi ante omnia esse obediendum. Eundem Stoici disciplinae moralis finem exposuerunt: Zeno τὸ ὁμολογουμένως ζῆν (1); quae magistri sententia (2) ut rite acciperetur, finis propositi enuntiationem correxit Cleanthes addendo τῇ φύσει; Chrysippus clarius ostendere volens, quo modo cum universa Stoica ratione haec definitio cohaereat, eam ita exhibuit: ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων (3). Nempe experientia docet primum animantibus ipsa natura insitum esse studium, non ut voluptatem captent, sed ut conservent vitam: hoc autem studium homini, utpote hac in re reliquis animantibus excelsiori necessitatem imponere obediendi rationi, τῷ ὀρθῷ λόγῳ (4), quae omnem vitam dirigit ad aequalitatem ac tenorem per omnia sibi consonantem (5): si illi rationis legi obtemperamus, non aliter potest quin vita nostra universae naturae conveniens evadat, si quidem ipsa natura etiam ratione, Divina scilicet, ordinata sit ac moderata (6). Perinde igitur est utrum dicamus secundum rationem, an secundum naturam, an secundum Dei voluntatem vivere. Propterea

(1) Stob. Ecl. Eth. p. 132. ed. Heeren.
(2) Cf. Diog. L. VII. 87.
(3) Stob. l. c. p. 134. Cf. Cic. Fin. libb. III. et IV. passim.
(4) Diog. L. VII. 85. sq.
(5) Senec. Epist. XXXI.
(6) Cleanthes apud Stob. Ecl. Phys. p. 32.

etiam Chrysippus Jovem Legem vocabat (1). Quum vero virtus sit affectio animi constans (2), qua agnoscimus et facimus ea quae bona sunt, bona autem, quae ad finem illum naturae convenientem ducunt, eodem rursus redit, si virtutis legibus accommodate vivere praecipiamus (3). Ita videtur Stoicorum finis intelligendus, ne inter se pugnent variae rationes (4), quibus illum proponere solebant. E dicta autem virtutis notione manifesto apparet ab ea posse beatitudinem nullo modo separari (5).

Virtus, ut ex interpretatione Ciceronis (6) docuimus, est affectio animi constans. Requiritur ut ea, quae proficiscuntur a virtute, suscipiantur; utrum perficiantur, an minus, nihil refert (7). Neque magis oportet eorum, quae vere bona sunt, i. e. quae tendunt ad finem propositum, alia aliis anteponere. Velut omnes pravae actiones, ita bonae etiam non similes quidem, at pares tamen existimandae sunt (8).

(1) Cic. N. D. I. 15. Cf. M. Anton. de Reb. Suis X. 25. Eandem sententiam commendant Arist. (?) de Mundo C. 6. p. 614. D. Plutarch. ad princ. ind. 781. B. Cff. etiam Gataker. ad Marc. Ant. l. c. et Creuzer. Symbol. T. II. p. 508.

(2) Diog. L. VII. 89. Stob. Ecl. Eth. 104. Seneca l. c.

(3) Diog. L. VII. 87. sq. Cic. Tusc. IV. 15.

(4) Cff. Lips. Manud. ad Phil. Stoic. II. 14. sqq., Stäudlin Op. l. p. 294. sqq.

(5) Stob. l. c. p. 138. Sext. Emp. P. H. III. 169.

(6) Cic. Tusc. IV. 15.

(7) Cic. Fin. III. 9.

(8) Cic. Fin. III. 14. Parad. III. 1. Stob. l. c. 218. ἴσα, οὐκ ἔστι (ἔτι Heeren.) δ᾽ ὅμοια.

Virtus tametsi, tamquam recta ratio considerata (1), una et simplex sit, si diversa actionum consilia adtenduntur, primarie in quatuor partes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, distribui potest, quibus singulis variae species subjiciuntur (2), quae conjunctae τελείαι περὶ τὸν βίον haberi debent (3). Quaeque harum virtutum exercitatione hominem naturae convenienter vivere facit. Et justitia quidem, quae circa distributiones versatur, scientia (4) est suum cuique tribuens (5); ipsique subjectae sunt partes, pietas, integritas, facilitas, comitas (6).

Haec Ethices Stoicorum praecipua fundamenta sunt, quibus omnis etiam, cum antiquiorum philosophorum placitis consentiens fere, doctrina de justo superstruebatur. Jam de singulis nonnullis Stoicis videamus, et primum a Zenone quidem, utpote disciplinae fundatore, actionum humanarum distributionem (7) repetamus et sapientis ef-

(1) Cic. Tusc. l. c.

(2) Stob. l. c. p. 104.

(3) Stob. p. 108.

(4) Cic. Acad. post. c. 10 ad Peripateticos respiciens „Quumque superiores", inquit, „non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura, aut more perfectas, hic (Zeno) omnes in ratione ponebat".

(5) Stob. p. 102. δικαιοσύνην δὲ, ἐπιστήμην ἀπονεμητικὴν τῆς ἀξίας ἑκάστῳ. 104, 112. Aliam et maxime diversam quidem justitiae definitionem exhibere videretur Diog. L. VII. 92: sed procul dubio illo loco pro δικαιοσύνην reponendum est σωφροσύνην.

(6) Stob. p. 106. Stoici tamen in his non conveniunt. Cf. Diog. L. VII. 126.

(7) Cicero scil. d. l. eam ab ipso Zenone repetit.

figiem (1), quae duo et a posterioribus Stoicis probe conservata sunt et haud exiguum locum constituunt universae Stoicorum disciplinae.

Omnibus animantibus, ut vidimus, hanc supremam natura legem posuit, ut vitae tuendae curam gererent. Omnes actiones, quae naturali huic studio inserviunt, generali sensu dicuntur καθήκοντα. Hominis vero, qui prae reliquis ratione praeditus est, hoc naturae *consentaneum* est, ut a ratione sibi viam praescribi sinat, qua illi studio indulgeat, ita ut homini ea tantum καθήκοντα existimanda sint, quae ratione probantur. Sunt autem quaedam eorum, quibus homines sibi prospicere conantur, quamquam non ea, quae absolute bona sunt, assectentur, ut uxorem ducere, legatione fungi, disputare, similia; alia, quae strictiori sensu *perfecta* vocantur, quae propter ipsum recte vivendi finem suscipiuntur, ut sapere, justa agere. Haec nuncupantur κατορθώματα (2). Quanti momenti haec distinctio in disciplina morali fuerit, sponte apparet, cum luculenter demonstraverit quid inter eas intersit, rationi utique consentaneas actiones, quae non prohibeantur easque quae jubeantur lege morali (3). Diu non probe intellecta est, quum τὰ καθήκοντα a Ci-

(1) Cic. p. Mur. C. 29. Stob. p. 198. Diog. L. VII. 108.
(2) Universa haec doctrina exponitur apud Cic. libb. de Fin. l. l., Diog. L. VII. 107. sqq. Stob. p. 158. sqq.
(3) Cf. Cic. Off. III. 3.

cerone (1) aliisque *officia* reddita, mirum videbatur in iis haberi, quae *media* sint, *neque in bonis ponantur neque in contrariis* (2); sed recentissimo tempore a viris doctis in vocis significationem accuratius inquisitum est, suusque honos praeclarae sententiae restitutus (3).

Omnes fere philosophi humanae cognitionis ac virtutis perfectionem quasi viva imagine repraesentaverant: Plato suum proposuerat φιλόσοφον, Aristoteles, quamvis pro disciplinae suae ratione exilius, φρόνιμον suum, ex quorum exemplo velut ex ipsa disciplina morali vitae praecepta peterentur. Zeno, ut Cynicorum (4) successor, *sapientem* exornavit, in quem perfectissimas dotes et vel plus quam humanas conferret, quem non liberum (5) solum ac nobilem (6) exclamaret, sed regalem (7) ac divinum (8). Ex sapientis illa effigie pauca desumere liceat, quae Stoicorum placita de justo illustrant. Non cadit in sapientem injuria, quum

---

(1) Primus ita interpretatus est Cicero Off. I. 3. Fin. III. 6, improbante, ut videtur, Attico. Cf. Ep. ad Att. XVI. 11, 14. Ipse vero queritur Fin. III. 4., Stoicorum rationem habere difficilius quiddam et obscurius, propter nominum novitatem et interpretandi operam.

(2) Cic. Fin. III. 17. al.

(3) Off. Garve Ann. ad vers. suam Cic. libb. de Off. p. 17. sqq., Tennemann Op. l. IV. 90. sqq. Stäudlin Op. l. 312. sqq.

(4) Cf. Diog. L. VI. 11. sq., 37, 72, 105.

(5) Diog. L. VII. 121.

(6) Stob. Ecl. p. 220.

(7) Diog. L. VII. 122. Stob. p. 222. Cic. Fin. III. 22.

(8) Diog. L. VII. 119.

neque eam inferat, neque ipsi inferatur: injuria nempe necesse conjuncta est cum ignominia et noxa, utraque vero sapiens caret (1). Sapiens se considerat tamquam λογιστικὸν ζῶον καὶ κοινωνικὸν καὶ φιλάλληλον φύσει (2), et propterea uxorem ducit et procreat liberos non sua solum, sed etiam patriae gratia: propter eandem causam ad rempublicam accedit et imperium et magistratus (3). Quum autem reliquis hominibus adeo praecellat, illa jure ipsi competunt: ecce Socraticorum ἀριστοκρατίαν. Solum etiam sapientem oportet leges ferre et interpretari (4): solus enim naturam novit: est jus autem ipsa natura, non constitutione (5).

Sententiam illam de gerendis magistratibus Epicureis Stoici directe opposuerunt, neque, ut notum est, verbis tantum, sed egregie exemplo confirmarunt. Neque ulli quidem philosophi majorem legibus scriptis cultum praestitere. Quum enim primarium hominibus officium ponerent, naturae convenienter vivere, quumque naturam humanam et legem requirere et civitatem contenderent, necessario improbos omnes duxerunt istos,

(1) Stob. p. 226, 228.
(2) Stob. p. 224. Cf. Anton. de Reb. Suis. VII. 55. IX. 31.
(3) Stob. p. 184, 186, 224. Diog. L. VII. 121.
(4) Stob. 206.
(5) Diog. L. VII. 128. Stob. p. 184. *Τό, τε δίκαιόν φασι φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει.* Stoici *φύσει* opponebant *θέσιν*, nunquam vero, reliquorum philosophorum more, *νόμον*, cujus ipsius scilicet magnificentiorem fovebant opinionem. Cf. Diog. d. l. Stob. p. 204.

non solum qui adversarentur iis, sed qui quacunque de causa illis destituerentur (1).

Chrysippus omnium Stoicorum optime de justi notione meruit. Quum eam etiam a natura repeteret, hanc probe considerandum esse duxit, ut illius indolem rite perspiciamus (2). Inter eos autem ipsius judicio solos jus obtinere potest, qui propter similitudinem communitatis et societatis participes esse possunt. Erga reliqua igitur animantia nullo jure homines tenentur, διὰ τὴν ἀνομοιότητα: inter se vero omnes propter naturae rationalis communionem (3). » Praeclare adeo Chrysippus," inquit Cicero (4) » quoniam ea natura esset hominis, ut cum genere humano quasi civile jus intercederet, qui id conservaret, eum justum, qui migraret, injustum fore." Prima haec dici meretur philosophica expositio juris, quo omnes homines, propterea quod homines sunt, inter se invicem obligantur. Superiores philosophi ad reipublicae aut Graeci nominis communitatem omnem juris societatem restrinxerant. Aristoteles uno

(1) Stob. p. 208. Λέγουσι δὲ καὶ φυγάδα πάντα φαῦλον εἶναι, καθόσον στέρεται νόμου καὶ πολιτείας, κατὰ φύσιν ἐπιβαλλούσης.

(2) Plutarch. de Stoic. repugn. 1035. C. Οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως· ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομέν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ καλῶν κ. τ. λ. Diog. L. l. l.

(3) Diog. L. VII. 129.

(4) Cic. Fin. III, 20.

quidem loco (1) ulterius progressus videbatur, sed de industria in recensendis Stagiritae placitis ejus nullam injecimus mentionem, ne plura, quam par erat, ipsi tribuerentur. Convenit enim neque eam reliqua ejusdem doctrina, neque justitiae, at vero amicitiae explicandae gratia proponitur. Ex hac simul sententia Chrysippus efficiebat, quemcunque, qui alium injuria afficit, quando quidem *communem* violat legem, etiam *sibi* injuriari ipsi (2).

Quo loco laudatam Chrysippi sententiam Cicero memorat, eodem aliam quoque refert ipsius, gravissimi item momenti, qua tum universitatis rerum dominium hominibus tribuit, tum explicare sustinet, quo modo cum illo privata cujusque res consistere possit: »Cetera nata esse hominum causa et Deorum. . . . . . Sed quemadmodum, theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest ejus esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe mundove communi non adversatur jus, quo minus suum quidque cujusque sit.«

Ex hisce speciminibus (3) apparet, quantopere dolendum sit Chrysippi periisse scripta, cum is prae reliquis Stoicis eximie putandus sit in juris inquisivisse naturam. In pluribus vero libris, in quibus de eo argumento exposuit, plus semel vi-

(1) Arist. Nicom. VIII. 13. 112. A.

(2) Plutarch. de Stoic. repugn. 1041. D. ὁ δὲ παρανομεῖ εἰς ἕνα, καὶ ἀδικεῖ ἐκεῖνον, ὃν ἄρα καὶ ὁντιναοῦν ἀδικῶν, καὶ ἑαυτὸν ἀδικεῖ.

(3) Cf. etiam Chrysippi fragm. servatum ab Aulo Gell. XIV. 4.

detur ad extremam Cynicorum ἀναισχυντιαν delapsus (1).

„Communis Stoicorum sententia erat cum utilitate nunquam posse honestatem contendere. Verum confitebantur nihilominus, in quotidiana hominum vita accidere saepissime, ut, quae a summa lege morali proficiscantur officia, directe nostris commodis obstent. Plurimas disputandi gratia sibi causas finxerunt quam poterant difficillimas, in quibus, quid officii esset, discerneretur (2). Quaerebatur fere in his, utrum sufficiat civili legi gerere morem, an oporteat semper perfectae virtutis obtemperare legi? Antipater is fuisse videtur, qui summi principii dignitatem religiosissime tueretur et hac in re tum a Diogene Babylonio magistro, tum ab aliis Stoicis longe discreparet (3). Ratiocinationes, ab utraque parte propositas, his paucis colligit Cicero: »Vides in hac tota disceptatione non illud dici: quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam: sed ita expedire, ut turpe non sit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum (4)."

Panaetius, qui, teste Cicerone (5), sine contro-

(1) Cf. Diog. L. VII. 187. sq. Sext. Empir. P. H. I. 160. III. 205, 246. sqq. adv. Math. XI. 192.
(2) Cic. Off. III. 10. sqq.
(3) Cic. Off. III. 12, 23.
(4) Cic. Off. III. 13.
(5) Cic. Off. III. 2.

versia de officiis accuratissime disputavit, juris notionem exposuisse diligentius, quam sollertius amplificasse existimandus est. Videtur, nisi id ipsi Ciceroni (1) tribuendum sit, ex Chrysippi rationibus duo diversa elicuisse delictorum genera, a Jureconsultis Romanis probe semper distincta, quorum alterum eorum est, quae contra personas, alterum eorum quae contra res committuntur (2). Perhibentur eodem loco Ciceronis duo injustitiae genera: »unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant injuriam. Nam qui injuste impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio: qui autem non defendit neque obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes aut patriam aut socios deserat." Gravissima haec Panaetii, si modo jure ipsi adscribatur, sententia est, qua succurrendi iis, qui injuria afficiantur, officium, ex ipsa justitiae indole derivatur.

(1) Quamvis enim Cicero in libb. de Offic. Panaetium potissimum auctorem sequeretur (I. 3, III. 2.), nunquam tamen certo huic sententia tribui potest ex illis libris desumpta. Cicero enim L. 1. c. 2. ita argumenti tractandi consilium exponit: » Sequemur igitur hoc tempore, et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus".

(2) Cic. Off. I. 7. » Sed justitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria: deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis".

Posidonius cum Chrysippo Panaetioque magistro consentit de juris societate inter homines eosque solos conservanda (1). Praeterea memoratur ejusdem sententia de servitutis origine, plane ea cum Aristotelica conveniens, quippe pariter ex rationis praestantia ducta (2).

Seneca, qui scilicet non cuiquam se mancipasse saepius gloriatur, multis in rebus a reliquorum Stoicorum doctrina discedit et in eo etiam, quod justitiam neque ceteras virtutes animalia esse statuerit (3). Speciosa disputatione istud Stoicorum placitum confutat, sed tum ampliore, quam hoc loco exhibeamus, tum, propter ipsius quaestionis exilitatem, minoris momenti. Neque Seneca ceteroqui, neque Epictetus vel Marcus Antoninus, quamvis egregiis praeceptis commendarent justitiam, ad philosophicam hujus argumenti notitiam multum novi contulisse videntur.

(1) Diog. L. VII. 129. Cf. Cl. Bake de Posid. p. 191. sq.
(2) Athen. VI. 263. C. *Ποσειδώνιος δέ φησιν ὁ ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἐν τῇ τῶν ἱστοριῶν ἑνδεκάτῃ, πολλούς τινας ἑαυτῶν οὐ δυναμένους προΐστασθαι διὰ τὸ τῆς διανοίας ἀσθενές, ἐπιδοῦναι ἑαυτοὺς εἰς τὴν τῶν συνετωτέρων ὑπηρεσίαν, ὅπως παρ᾽ ἐκείνων τυγχάνοντες τῆς εἰς τὰ ἀναγκαῖα ἐπιμελείας, αὐτοὶ πάλιν ἀποδιδῶσιν ἐκείνοις δι᾽ αὐτῶν, ἅπερ ἂν ὦσιν ὑπηρετεῖν δυνατοί.* Praeterea ex Seneca (Ep. XC.) patet, eum in alia quoque vitae socialis initia esse perscrutatum et traditionem comprobavisse de aureo aevo, posteriori tempore a multis philosophis derelictam.
(3) Senec. Epist. CXIII.

Nulla re disciplinae Stoicae auctoritas adeo crevit, quam Jureconsultorum Romanorum studiis, qui maximam partem ex ea principia desumebant, quibus universum Juris Civilis aedificium exstruerentur. In illustri hoc opere, quod quamquam a diversis auctoribus profectum, magis unum et simplex est, quam quodcunque ferme cujuscunque philosophi systema, plurimis locis Stoicorum placitorum efficacia cernitur et statim quidem in ipso operis introitu in Juris Naturalis definitionem. »Jus Naturale est", inquit Ulpianus, »quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non generis humani proprium, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari nascuntur, avium quoque commune est". En Stoicorum καθήκοντα, latissimo sensu accepta. Proponuntur tamquam exempla maris atque foeminae conjunctio, procreatio, educatio. In eo Ulpianus ulterius processit, quam ipsi principes Stoici, quod omnia ea jura existimavit, quae cum natura animalium, etiam ratione carentium, convenirent: sed illud verissime docuit, ex ea quidem natura hominis, quam cum reliquis animalibus communem habet, multa derivari jura oportere. Deinde a Jure Naturali distinguit Ulpianus Jus Gentium et Jus Civile, ipsorum eam fere retinens definitionem, quae post Aristotelem in universa Philiosophia invaluerat. Ut igitur ex ipsa hominum natura pateret, cujusnam juris capaces sint, triplici ratione hominem considerandum esse

praeceperunt Jureconsulti Stoici; tanquam *animal* (vox Latina duriuscula est, quippe Philosophorum ore non adeo trita: Graecum ζῶον neminem offendet), tanquam *hominem* (1), animal ratione praeditum, ζῶον λογιστικόν, et tanquam *civem*, hominem ob naturae suae necessitatem (est enim, ut supra vidimus, ζῶον κοινωνικὸν καὶ φιλάλληλον, Aristoteles vocabat πολιτικόν) cum aliis hominibus certa quadam et descripta vitae socialis ratione conjunctum. Tripartita illa consideratio, modo ne juris appellatio pressius urgeatur (2), in philoso-

(1) Hinc Ulpianus d. l. §. 4. L. 1. D. de Just. et Jure. » Jus gentium'', inquit, » a naturali recedere, facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit''.

(2) Scilicet, quem a Graecis Romani acceperant morem, ut non ea tantum, *quae naturalem inter homines rationem constituerent*, sed omnia, *quae e naturali quadam necessitate ducerentur*, *leges naturae* vocarent (ut recentiores etiam, nostrates v. c. *natuurwetten*), illum non retinuerunt modo, sed multo crebrius usurparunt. Apertum est, quantopere hoc imprimis Stoicorum disciplinae conveniebat. Hinc Seneca v. c. mortem naturae legem vocat (Natur. Q. L. VI. in fine); » Lex naturae'', inquit alio loco (Epist. IV.), » scis, quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire, non algere''. Verum in re tam nota exemplis non opus est. Naturale *Jus* igitur, ex mente nostri Jurisconsulti, objectivo sensu, quo saepissime sumitur, earum *legum* est complexus. Quod ita nempe ipsius sententia intelligenda est, eo patet, quod *jus privatum* dicit *collectum* ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civili. — Ceterum Cl. Krug Encycl. Phil. Wörterb. in v. Naturrecht T. III. p. 25. verissime monet, illinc quaestionem de Jure mirifice semper esse turbatam, quod ad duplicem *naturae* significationem non

phiae historia valde memorabilis est, neque, opinor, tam multis absona videretur, nisi recentiorum juri naturali nimis essent aures assuefactae.

Neque mirum profecto est, Romanos Jurisconsultos inprimis Stoicam esse rationem amplexos. Romanorum hoc ingenium erat, ut nullis artibus disciplinisve operam darent, quarum non statim in publicam sive privatam vitam cernerent efficacitatem. Hinc diu philosophia inculta jecit: simul ac vero Stoicorum doctrina innotesceret, haec statim intelligebatur haud exiguam cum republica habere necessitatem et cum sanioribus justitiae principiis egregie conspirare. In illam igitur Jureconsulti Romani incubuerunt (1), et veri exstiterunt ac genuini Romanorum philosophi, quorum exemplum probaret, si cum vitae usu conponatur, quantum in recte constituta civitate philosophia valeat (2).

---

non satis attendebatur. Hoc autem non solum valet de principiis hujus disciplinae constituendis, verum de omni disputatione, quae super hac quaestione habetur, ac praesertim de judicio, cui veterum philosophorum sententiae submitti solent.

(1) »Veram'', ut ajunt d. l. »philosophiam, non simulatam affectantes.

(2) Cf. imprimis cel. Gibbon Hist. of the decline and fall of the Rom. emp. Ch. XLIV.

SECTIO DUODECIMA.

DE PYRRHONIIS ET ACADEMICIS.

Ad postremum locum reservavimus Scepticos, quorum scil. disciplinae ratio, si semel ita loqui liceat (1), longissimo intervallo ab omnium reliquorum philosophorum doctrina distat. Ab antiquissimo inde tempore multi semper fuerunt cum poëtae tum philosophi, qui de rerum omnium incertitudine conquererentur; et si horum erant aliqui, qui veram rerum speciem hominibus declaraturos se profiterentur, ipsorum tamen dissensus haud injuria non levem moverat suspicionem. Pyrrho primus fuit, qui, quae reliquis fere quasi invitis exciderat, dubitationem tanquam primarium sapientis officium exponeret (2). Ipsa philosophiae conditio, fluctuans Heracliti doctrina, Dialecticorum ac Sophistarum spinosum disserendi

(1) Ips Sceptici, ne dogmaticis ullis opinionibus favere viderentur, nolebant rationem suam disciplinae aut sectae aut simili nomine insignire. Cf. Sext. Emp. P. H. I. 16. Neque magis ea nomina ipsorum rationi tribuebant Dogmatici, tum maxime vero ei philosophiae appellationem denegabant. Cf. Aristocles apud Euseb. Praepar. Evang. XIV. 18. *ἐγὼ δὲ οὐδὲ φιλοσοφίαν οἴομαι δεῖν ὀνομάζειν αὐτὴν, ἀναιροῦσάν γε δὴ τὰς τοῦ φιλοσοφεῖν ἀρχάς.* Sollerter etiam Lactant. Inst. III. 4. vocat *philosophiam non philosophandi.*

(2) Diog. L. IX. 61. sq. Cf. doct. Holwerda de Sceptic. in Ann. Acad. Lugd. A°. 1828. p. 32.

genus, Socratis etiam prudentia, tum maxime plurimorum Dogmaticorum disputandi ratio, qui nova jactabant potius, quam probabant, plurimum ad hanc rem contulisse videntur: neque dubitandum opinor, quin scepsis Pyrrhonis ex infelicibus, quae arbitrabatur, philosophorum conaminibus primam originem duxerit (1). Fuerunt multi viri docti qui tali judicio, philosophiae historia comprobato, omnem semper Scepticismum superstructum fuisse perhiberent (2). Ac magna certe ipsius pars fuit. Verum non ex improbabilibus solummodo et dissentientibus aliorum argumentationibus dubitandi causas eliciebant, sed, quae sibi ipsis sive sensibus sive intellectu apparerent, tantam habere inconstantiam videbantur et pugnam, ut ex illorum recordatione et comparatione manifesto efficeretur, nullam certam iis inesse aut judicandi aut assentiendi notam. Propterea Aenesidemus, omnium Scepticorum, Sexto Empirico et ipso Pyrrhone exceptis, facile princeps, philosophandi rationem, quam amplectebatur, ita definivit: *Ἔστιν οὖν ὁ Πυῤῥώνειος λόγος μνημή τις* (3) *τῶν φαινο-*

(1) Cf. Cl. Fülleborn, Beyträge zur Gesch. der Philos. T. III. p. 25.

(2) V. c. Kant Ueber eine Entdeck., nach der alle neue Crit. der R. V. entbehrl. gemacht werden soll. p. 78, (G. E. Schulze) Aenesidemus, über Reinhold's Elementarph. nebst eine Vertheid. des Skeptic. 1792. p. 24.

(3) Galesius legendum suasit *μήνυσις*, probantibus Casaubono, Menagio, aliis. Attamen, si a tantis viris dissentire hoc loco licet, videtur vulgata lectio retinenda propter peculiarem illam Scepticismi indolem, quam paucis illustrare aggressi sumus.

μένων, ἢ τῶν ὁπωσοῦν νοουμένων, καθ' ἣν πάντα πᾶσι συμβάλλεται, καὶ συγκρινόμενα πολλὴν ἀνωφέλειαν καὶ ταραχὴν ἔχοντα εὑρίσκεται (1). His autem conjunctis, tam opinione, nondum a philosophis sufficienter propositam esse veri doctrinam, quam propriis viribus detracta fide, germana Pyrrhonismi indoles maxime cernitur, videturque his notis imprimis ab Academicorum ratione esse distinguendus. Non inficior saepe Scepticos, etiam veteres, multo latius processisse et dubitandi rationes tam ordinate exhibuisse et acriter propugnavisse, ut eos affirmare potius quam dubitare diceres: neque nego si universa eorum disputatio quae ad nos pervenit, cum Academicorum rationibus conferatur, in aliis rebus, quam in ipso totius argumentationis fundamento discrimen inter eos esse ponendum (2). Sed non quaero de Scepticismo, qualem cum fines migrarent, reddiderunt Pyrrhonii: sed qualem primarie sibi proposuerunt ipsi. Hic, ut ita dicam, plane historicus est: nititur cognitione et improbatione eorum, quae a philosophis prolata sint et propriarum perceptionum discordia. Argumentis, quae contra sententiam aliquam prodebant, non majorem vim ipsi tribuebant, quam adversariorum argumentis, at vero aequalem, ita ut ex illorum aequilibrio judi-

(1) Diog. L. IX. 78.

(2) Cff. quos citat Stäudlin. Gesch. und Geist. des Skeptic. T. I. p. 308. n. et imprimis peculiari scriptione hac de quaestione acute disserentem Thorbecke in Ann. Acad. Lugd. A°. 1820.

sui cohibendi necessitas evinceretur (1): rursus autem de hac ipsa re in utramque partem aequo jure posse disputari docebant, ita ut etiam ea incerta esset, et sic porro. Ut hanc veram esse Scepticismi indolem nobis persuasum sit, est illorum conferenda disputatio, qua de discrepantia se inter et Academicos exponunt (2); tum reputare oportet eos non ἀπορητικοὺς se vocare tantummodo et ἐφεκτικοὺς, sed ζητητικοὺς etiam (3): quin ipsa cogitetur σκεπτικῶν appellatio; sufficiat tandem in memoriam revocasse celebrem illam Philosophorum in tres ordines distributionem, qua explicanda Pyrrhoniarum Institutionum libros Sextus Empiricus exorditur (4).

(1) Cf. Sext. Emp. adv. Math. VII. 443. Propterea ne nimium ponderis alicui sententiae addere videantur, saepe data opera levioribus argumentis utuntur. Sext. Emp. P. H. II. 281.

(2) Sext. Emp. P. H. I. 226. sqq. Cf. etiam imprimis Aenesidemi fragm. serv. apud Phot. cod. 212. p. 541—545 (ed. Schott. 1653), qui discrimen hoc admodum accurate persequitur. Dicuntur ab illo p. 543 Academici Στωϊκοὶ μαχόμενοι Στωϊκοῖς.

(3) Sext. Emp. P. H. I. 7. Memorabile est Aulum Gell. (N. A. XI. 5.) narrantem Academicos iisdem appellatos fuisse, quibus Sceptici, nominibus eaque recensentem, solum ζητητικῶν omittere nomen.

(4) Sext. Empir. P. H. L. I. init. Τοῖς ζητοῦσί τι πρᾶγμα, ἢ εὕρεσιν ἀπακολουθεῖν εἰκὸς, ἢ ἄρνησιν εὑρέσεως καὶ ἀκαταληψίας ὁμολογίαν, ἢ ἐπιμονὴν ζητήσεως· διόπερ ἴσως καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ φιλοσοφίαν ζητουμένων, οἱ μὲν εὑρηκέναι τὸ ἀληθὲς ἔφασαν, οἱ δὲ ἀπεφήναντο μὴ δυνατὸν εἶναι τοῦτο καταληφθῆναι, οἱ δὲ ἔτι ζητοῦσι. καὶ εὑρηκέναι μὲν δοκοῦσιν οἱ ἰδίως καλούμενοι Δογματικοί. .... ὡς δὲ περὶ ἀκαταλήπτων ἀπεφήναντο οἱ .... Ἀκαδημαϊκοί· ζητοῦσι δὲ οἱ Σκεπτικοί.

Quod Sceptici non multum virtuti tribuere poterant, in aperto est. Jam antiquiores, qui a Pyrrhone ad Aenesidemum habentur (1), inter notos suos dubitandi τρόπους, e quibus ἐποχὴ colligitur, postremum recensuerant τὸν παρὰ τὰς ἀγωγὰς, καὶ τὰ ἔθη, καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰς μυθικὰς πίστεις, καὶ τὰς δογματικὰς ὑπολήψεις (2). Νόμος, qui definitur ἔγγραφος συνθήκη παρὰ τοῖς πολιτευομένοις, ἣν ὁ παραβαίνων, κολάζεται (3), a Sexto Empirico, qui varios hos τρόπους commentatur, magna doctrinae copia et ingenii acumine alius semper alii opponitur, sive consuetudini cuidam aut mori, ut ex diverso hominum judicio probetur nihil hac in re per se bonum aut justum aestimari posse (4). Aenesidemus etiam omnibus argumentis, quae pro distinctione boni ac mali, proque universa virtute a Dogmaticis proferri solebant, argumenta opponere sustinuit (5).

Difficile dictu est, in utro Philosophorum ge-

---

(1) Sext. Emp. P. H. I. 164. ibiq. Fabr.

(2) Sext. Emp. P. H. I. 37.

(3) Sext. Emp. P. H. I. 146.

(4) Sext. Emp. P. H. I. 148. sqq. Nimirum Sceptici dicebant, si quae omnibus eadem apparerent, haec fore vera opinanda: nulla vero omnibus eodem modo apparere. Cf. Aenesid. apud Sext. Emp. adv. Math. VIII. 40, 215. sq., 234. sqq. Ejusdem sententia cum Epicuri et Heracliti placitis comparatur eodem libro §. 8, ex quo loco videtur corrigendus Diog. L. IX. 106. Si scilicet ibi pro Δημόκριτος reponatur Ἡράκλειτος, nulla superest causa, cur integra verba ὡς καὶ Δῖν. —— μὴ εἶναι delenda censeamus, sicut proposuit Holwerda Comm. l. p. 30.

(5) Phot. Cod. 212. p. 545.

nere, sive eorum, qui omnibus viribus virtutis causam defenderent, sive eorum qui improbitatis patrocinium suscipere dignarentur, si vitam eorum publicam aut privatam spectas, meliores cives invenies, justiores viros. Quod probat, ut Cicero ait, plus rectam naturam quam rationem pravam valere (1). Vel ipsi quidem Sophistae, abjectissima illa philosophorum faex, qui virtuti non solum omnes nervos inciderant, sed palam etiam docuerant, quantum suppetat facultas, esse libidini indulgendum, multum abfuit quin nefariam doctrinam vivendi ratione comprobarent. Sceptici probe intellexerunt, si e placitis suis agendi sibi normam praescribere vellent, non solum virtutem et fidem et justitiam, ceteraque, quae civitatem contineant, sed ipsam vitae actionem e vita iri sublatum. Noverant ridiculas fabulas, quas odii causa de Pyrrhone divulgarant dogmatici (2), quamvis jam hic docuerat esse legibus institutisque patriis sapienti morem gerendum (3). Studiose igitur Sceptici duo criteria distinxerunt, alterum, quo de veris falsisque rerum notis judicetur, tollentes penitus, alterum, quo vita recte instituatur, pie retinentes (4). Flocci eos faciendos esse ait Sextus

---

(1) Cic. Fin. II. 18

(2) Cf. P. Bayle Dict. in voce Pyrrhon.

(3) Suid. v. *Πυῤῥων.*

(4) Sext. Emp. adv. Math. *αὐτίκα τοίνυν κριτήριον λέγεται πρῶτον μὲν διχῶς· καθ᾽ ἕνα μὲν τρόπον, ᾧ προσέχοντες, τὰ μὲν ποιοῦμεν, τὰ δὲ οὐδαμῶς· καθ᾽ ἕτερον δὲ, ᾧ προς-*

Empiricus, qui existimant Scepticum ad vivendum in otio se includere et ab actione omni removere et se ad quandam redigere absurditatem et contradictionem: Ταῦτα δὴ λέγοντες οὐ συνιᾶσιν ὅτι μὲν κατὰ τὸν φιλόσοφον λόγον οὐ βιοῖ ὁ Σκεπτικός· ἀνενέργητος γάρ ἐστιν ὅσον ἐπὶ τούτῳ, κατὰ δὲ τὴν ἀφιλόσοφον τήρησιν δύναται τὰ μὲν αἱρεῖσθαι, τὰ δὲ φεύγειν (1). Ἀφιλόσοφος ista τήρησις, qua τὸ φαινόμενον Scepticus sibi agendi normam adsciscit, quadruplex est: versatur enim partim ἐν ὑφηγήσει φύσεως, partim ἐν ἀνάγκῃ παθῶν, partim ἐν παραδόσει νόμων τε καὶ ἐθῶν, partim ἐν διδασκαλίᾳ τεχνῶν; et ut reliquam definitionem omittamus, versatur quidem in legum ac morum constitutione, καθ' ἣν τὸ μὲν εὐσεβεῖν παραλαμβάνομεν βιωτικῶς, ὡς ἀγαθὸν, τὸ δὲ ἀσεβεῖν ὡς φαῦλον (2). Haec tamen omnia Sceptici proferunt ἀδοξάστως et ob hanc solam causam, quod ἀνενέργητοι παντάπασιν εἶναι manifesto nequeant (3): qua re discrepantia ipsorum rationem inter et Academicorum, qui Arcesilam inprimisque qui Carneadem secuti sunt, maxime elucet. Arcesilas enim, ceterum plane Scepticus, primus probabilitatis quandam excogitavit theoriam, quam perfecit Carneades atque amplificavit ita, ut systemati nihil fere deësse vi-

προσέχοντες, τὰ μὲν ὑπάρχειν φαμὲν, τὰ δὲ μὴ ὑπάρχειν, καὶ ταυτὶ μὲν ἀληθῆ καθεστάναι, ταῦτα δὲ ψευδῆ. Cf. P. H. I. 21.

(1) Sext. Emp. adv. Math. XI. 162, 165.

(2) Sext. Emp. P. H. I. 23. sq.

(3) Sext. Emp. I. 1.; adv. Math. VII. 30.

deatur (1). Academici igitur legibus justitiaeque praeceptis propterea accommodabant vitam, quoniam quamvis fortasse non veriora, probabiliora certe, quam ipsorum contraria, ea esse existimabant (2), Sceptici vero citra ullam opinionem. *Οἱ μὲν γὰρ*, inquit Sextus, *κατ' αὐτὴν κοσμεῖσθαι λέγοντες ἄνδρες τῷ πιθανῷ προσχρῶνται κατὰ τὸν βίον· ἡμεῖς δὲ τοῖς νόμοις, καὶ τοῖς ἔθεσι καὶ τοῖς φυσικοῖς πάθεσιν ἑπόμενοι βιοῦμεν ἀδοξάστως* (3).

Academicorum autem disciplina, quod tamen externis potius causis tribuendum est, multo celebrior facta est, quam Scepticorum ratio. Praecipuae scilicet hujus rei causae petendae sunt ex disputandi opportunitate, qua illi proprii exstiterunt Stoicorum adversarii (4), et admirabili disserendi facultate, qua praesertim Arcesilas (5) et Carneades (6) instructi fuerunt. Hunc eo oratoria ista laus perduxit saepissime, ut Sophistarum imitaretur exemplum, et de quacunque re in utramque partem disputare publice aggrederetur. Illustre hujus rei testimonium prodidit in nobili illa legatione Romana, quam cum Critolao Peripatetico et Diogene Stoico suscepit (7), quae insig-

(1) Cf. Stäudlin. Gesch. des Skept. T. I. 318. sqq.
(2) Sext. Emp. adv. Math. VII. 158, 166.
(3) Sext. Emp. P. H. I. 231.
(4) Diog. L. IV. 62.
(5) Cic. Acad. Pr. II. 18.
(6) Cic. Orat. II. 38, III. 18. al.
(7) Cff. Cic. Tusc. IV. 3. Orat. II. 37. sq. Div. I. 30, Plin. VII. 30. Lact. V. 14. Macrob. Saturn. I. 5. alii.

nem habuit efficacitatem in Romanorum ingenium et ad philosophiae amorem, ad hoc usque tempus penitus neglectum, generosiorum juvenum animos excitavit. Singularibus autem eloquentiae dotibus collegas cito Carneades obscuravit et omnium studia mox occupavit solus: quin ea orationis vis fuit, ut totius civitatis interesse existimaret Cato, tam perniciosis, quas proferebat ille, sententiis, non talem concedere defensorem et quam celeriter potuit, ex urbe dimitti legationem curaret (1). Carneades enim, quum egregia oratione justitiam laudaverat, postridie eam argumentis adorsus est haud levioribus, quam quibus in alteram partem disputaverat et eo Romanos adduxit, ut in ea re, de qua antea ne dubitari quidem posse putaverant, non amplius haberent, quibus tribuerent fidem. Rationes, quibus impugnaverit justitiam, nobis servavit Lactantius (2): omnes fere dissensione nituntur honestatis et utilitatis: non est justitia, aut si est aliqua, est ille stultus tamen, qui ipsi obtemperat, quippe aliena potius quam propria commoda observans. Sunt omnino fere argumenta, ut vere monuit Stäudlinus (3), quibus Sophistae in prioribus Platonis de Rep. libris adversus justitiam dimicaverant. Cernitur tamen praeterea etiam, ut in omnibus Academicorum ratiocinationibus,

---

(1) Cf. imprimis Plutarch. Cat. Maj. 349. E.
(2) Lact. V. 15.
(3) Stäudl. l. I. p. 330. n.

quantopere ea, quae contrario consilio de jure controverso similibusque Stoici disputare solebant, callide in suum usum impendere norant.

Cicero in quaestione de veri judicio posteriores potissimum Academicos (Carneadem Clitomachum, alios) secutus est, quos tamen, ne sententia sua perperam acciperetur, summo studio semper ab iis distinguit, *quibus nihil esse verum videatur* (1). In quaestione vero de moribus philosophandi illud principium plane deserit et modo Socraticos, modo Stoicos imitatur, ita tamen ut veterem philosophiam orationis magis dotibus exornavisse, quam novis inventis amplificasse existimandus sit. In justitiae indole explicanda, fere germanus Stoicus est: lex naturae, summa ratio, virtus, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία, ut ait poëta. Non tamen inficiandum est hanc certi cujusdam amplectendi principii inconstantiam saepissime causam exsistere, cur grandibus quidem et alte sonantibus verbis justitiam ac reliquam virtutem Cicero commendet, sed nequaquam Academicorum dubitationi aeque validam

(1) Cic. Div. II. 70. Fin. II. 14. Off. II. 2, in Acad. passim. V. imprimis etiam N. D. I. 5, ubi *in quibus nihil verum esse videatur*, non intelligendi sunt Sceptici, ut Manutius aliique ad h. l. docuerunt (quippe Sceptici Ciceroni fere incogniti fuisse videntur: ipse Pyrrho semper apud eum Dogmaticus audit. Cf. Fin. II. 13. IV. 16. Off. I. 2.), sed Arcesilas quique eum secuti sunt. Probabilitatis enim doctrina, quam jam aliquo modo suscitaverat Arcesilas, a Cicerone tamen semper posterioribus Academicis tribuitur. Cf. Acad. II. 10.

opponat argumentationem. »Arguta haec plane", inquit Lactantius de laudata Carneadis oratione (1), »et venenata sunt et quae M. Tullius non potuerit refellere. Nam cum faciat Laelium Furio respondentem, proque justitia dicentem, irrefutata haec tanquam foveam praetergressus est".

(1) Lact. V. 17.

